POLONIA SACRA

WYDAWNICTWO NAUKOWE TOWARZYSTWA IM. PAPIEŻA BENEDYKTA XV-GO

POD REDAKCJĄ X. JANA FIJAŁKA PROF. UNIW. JAGIELL.

„REGNO PATRIAEQUE NOSTRAE PRIMA CHARITAS DEBETUR"

Biskupi polscy wraz z Hozjuszem do Rzymu 1537.

Nr. 5.

MARTYROLOGIUM PODLACHIAE IN POLONIA

auctore

Sac. Josepho Pruszkowski Podlachiensi.

W KRAKOWIE 1921.
SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI ŚW. WOJCIECHA W POZNANIU,
ALEJE MARCINKOWSKIEGO 22.

POLONIA SACRA

Num. 5

Martyrologium Podlachiae in Polonia.

POLONIA SACRA

WYDAWNICTWO NAUKOWE TOWARZYSTWA IM. PAPIEŻA BENEDYKTA XV-GO

POD REDAKCJĄ X. JANA FIJAŁKA PROF. UNIW. JAGIELL.

„REGNO PATRIAEQUE NOSTRAE PRIMA CHARITAS DEBETUR"

Biskupi polscy wraz z Hozjuszem do Rzymu 1537.

Nr. 5.

MARTYROLOGIUM PODLACHIAE IN POLONIA

auctore

Sac. Josepho Pruszkowski Podlachiensi.

W KRAKOWIE 1921.

SKŁAD GŁÓWNY W KSIĘGARNI ŚW. WOJCIECHA W POZNANIU, ALEJE MARCINKOWSKIEGO 22.

Wszelką korespondencję, dotyczącą wydawnictwa „Polonia Sacra“, uprasza się nadsyłać pod adresem Redakcji w Krakowie przy ul. Wygoda 11 p. II. — Egzemplarzy „Polonia Sacra“ nie daje się na zamianę.

Drukarnia Uniwersytetu Jagiellońskiego pod zarządem Józefa Filipowskiego.

Martyrologium Podlachiae in Polonia

seu

Sanguinolenta per rossicum regimen Unitis Catholicis Podlachiae in regno Poloniae illata vexatio (1864 — 1915).

Collegit atque exposuit

Sac. **Iosephus Pruszkowski,** Podlachiensis, S. Th. C.

Praelatus Custos Ecclesiae Cathedralis Lublinensis, Academiae Litterarum Polonae Socius.

Ad Lectorem.

Opusculum praesens, summopere compendiarium et in suo tantum succo rei latine est versum de polono opere meo, cui inscribitur „*Martyrologium* czyli *Męczeństwo Unii na Podlasiu*“ (Pars I[a] prodiit typis Cracoviae 1905, in 8° pag. 375, P. II[a] Lublini 1917, in 8° pag. 423). Quamvis editio illa polona utriusque partis eoque magis haec versio latina complexu suo non omnia teneat facta, neque ex omnibus vexationis schismaticae locis sit congesta, nihilominus et ea, quae mihi, maximo aliarum curarum laborumque oppresso agmine, in unum colligere contigit, historiam libenti animo accepturam spero ad immortalem fortitudinis memoriam fidelis Podlachiae populi, qui vita sua ac morte in petra Christi, Petro sancto se innixum ostendit seque catholicum aeque ac polonum est confessus.

Felicem me puto, quod possim episcopi Podlachiensis, Henrici Przeździecki, mentem eiusque ardorem, Dei gloria et fidelium suorum salute flagrantem, percipere. Qui enim ab a. 1919, sacro ingressus sui in dioecesim Podlachiensem restitutam tempore, admirabili concitatus est studio, ut per schismaticam vexationem rossicam tormentati et occisi pro defensione sanctae fidei catholicae Podlachienses martyres in album Sanctorum Caelitum iudicio rituque solemni sanctae Sedis apostolicae referrentur. Post pastorem suum hoc ipso affectus est

desiderio venerabilis clerus dioecesis Podlachiensis totumque Poloniae sacerdotium, excellentium pastorum suorum premens vestigia studii ardentis, ut in coetu Sactorum regni Poloniae Patronorum, decreto apostolico, etiam Podlachienses incolae, pro fide sancta martyres collocarentur.

Sacrum hoc votum inflammavit animos omnium Poloniae fidelium, vel maxime filiorum et nepotum Podlachiensium corda, ut eorum avi, patres matresque pro fide Christi passi crudelia, infallibili Ecclesiae voce Sanctorum Martyrum ordinibus assererentur. Hoc etiam ardore sacro tenentur et vigilantissimi patres societatis Jesu, qui apostolici missionarii divina servitia offerebant in Podlachia populo, pro fide catholica saevissime oppresso. Saepe illi, quantum potuerant, eludebant rossicam politiam ac missionis caesareae turmam armatam, alita barba, veste incolarum induti et crinum capitis ordine illis assimilitati; missionaria servitia patres offerebant populo fideli, ad quem saecularis clerus Podlachiensis, per politiam studiose observatus, perdifficilem vel impossibilem habuit aditum.

Post haec desideria sacra ego quoque hoc ipso studio ac voto teneor ardenti. Siquidem inde ab initio funestarum quaestionum magna cum saevitia in fidelem populum exortarum, Janoviae, in civitate purpurata martyrum sanguine, ubi tum institutus eram ecclesiae et parochiae cathedralis curatus, vidi hunc infernalem craterem, in catholicos circumcirca evomentem virus odii, nec non saevissima tormenta. Audivi flebiles gemitus eorum, qui pro sacra fide sua cruciati erant, eaque omnia, quae vidi et audivi, quodque in hac re testimonium scriptum vel narratum a personis fide dignis obtinui, fideliter notavi, ut communi desiderio ac voto nostratum laborem hunc meum ad futurum canonizationis Podlachiensium martyrum processum praepararem.

Rerum copia, ut aiunt, verborum copiam gignit. Pervulgatum proverbium ego non sequar; immo in hoc opusculo curabo, ut non multa sed multum, idque iustae cognitioni necessarium, in lucem prospectumque me protulisse, a benevolo lectore iudicari et dici possit.

Lublini, in pervigilio Nativitatis Domini a. 1920.

J. P.

Pergratum nobis est fasciculis **Poloniae Sacrae** inserere novissimum hoc Martyrologii opus auctoris illustrissimi atque optime meriti de enucleandis rebus gestis Ecclesiae catholicae in Polonorum provincia Podlachiensi, cuius quidem insigne membrum maximeque venerandum exsistit. Cum ipse auctor doctrina, pietate, eloquentia praeclarus, summa iam aetate, octogesimum quintum annum agens ac labore continuo in vinea Domini confectus, nec non etiam visu oculorum fere destitutus, Romam nunc adire nequeat ad deponendum testimonium suum fide dignissimum de martyribus nostris Podlachiensibus, ut eorum ossa, quae in fossam ignobilem schisma rossicum deiecerat, honore nostro laudeque adumbrata in altaribus ecclesiae Polonorum, supremo Sedis apostolicae decreto, collocari atque coli possent, nobis libellum hunc, scriptum testimonium eius referentem, benevole obtulit. Quod quidem testimonium gravissimum, libentissime a nobis animoque grato susceptum, ut prelo mandaretur, omni temporis hodierni difficultate typis imprimendi superata, curavimus. Agitur enim in eo de causis infestis sanguinolentae in Podlachia vexationis fidelium a regimine rossico illatae, de eorum in tormentis confessionis fidei catholicae constantia heroica, quorum sanguis (ut pie creditur) caelestis irae in Poloniam placamen et praesentium beneficiorum gratiam est deprecatus. *Martyrologii* nomine haud inepte auctor noster exornavit opus suum egregium, polonum et quod sequitur latinum; cuique enim illud legenti saepe in mentem revocabuntur verba apostolica, de primis pro Christo martyribus dicta: „*Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: ...tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt... egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et in cavernis terrae. Et hi omnes testimonio fidei probati... Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*“ (Ad Hebr. XI, 36 — 39 et 33).

Cracoviae, dominica Palmarum a. D. 1921.

Polonia Sacra.

MARTYROLOGII PROOEMIUM.

Ecclesia ritus graeci inde ab eo tempore, quo catholicae adhaesit fidei in antiquo regno Poloniae (a. 1596), dicta est *unita* eiusque populus fidelis generale sibi cognomen *uniti* adscivit. Ecclesia Romano-catholica eminuit matris loco, ruthenica vero ob suam cum matre unionem filia habebatur. Vita fraterna uniti populi eiusque ecclesia, exacto amplius quam saeculi spatio, plurimas externas cultus divini formas de ritu latino assumpsit fecitque suas eo videlicet fine, ut devotionis suae augmento magis consuleret. Quamvis autem novae formae ritus, devotionum, cultus divini quodammodo pristino usui et ritui sancito ecclesiae unitae essent contrariae, nihilominus fidelis populi vita habuit sua iura, suam philosophiam, expansionem suam et spirituale sibi melius et sanctius quaerebat commodum; tandem eo ventum est, ut fidelium unitorum ecclesia neque animadverteret, quemadmodum sua forma externa cultus divini et ritu sensim et leniter accessisset propius et cum externis Ecclesiae latinae formis coaluisset. Novum statum ecclesiae unitae novumque cultus divini ordinem synodus in Zamość a. 1720 celebrata per Leonem Kiszka, metropolitam Kijoviensem, approbavit; praesidebat huic synodo nuntius apostolicus Hieronymus Grimaldi, statuta vero synodi confirmavit papa Innocentius XIII.

Quodsi a synodo Brestensi ad Zamoścensem, annorum centum viginti quattuor spatio, tantus in vita spirituali unitorum atque in eorum ritu ecclesiastico novus irrepserat ordo, ritus, cantus et forma devotionis populi, quos synodus Zamoścensis auctoritate sua sancire non dubitavit, o! quot quantaeque id genus mutationes ex hoc tempore ad a. 1864 de Ecclesia latina ad unitam eiusque fideles unitos penetrare debuissent. Anno iam praedicto cum caesar rossicus Alexander II, crudelis semper

gentis et ecclesiae Polonorum vexator, in eas saevire coepisset, vita fidelium utriusque catholici ritus, socialis et religiosa, coniunctissima erat. Nam excepto matrimonio sacerdotibus ritus graeci permisso, praeter slavicam linguam in s. liturgia et sacramentis usitatam, praeter festorum observantiam ad veteris calendarii normam nec non communionis sacrae sub utraque specie, ritus vitaque religiosa utriusque ecclesiae simillima erat. Sacrorum carminum in cantum fidelium modulabantur organa et in utraque ecclesia communis eorum erat usus. Idem in ecclesiis altarium numerus, eaedem cathedrae audiendis confessionibus populi destinatae, eadem quotidiana missarum celebratio. In Sanctissimi publica expositione et in processionibus idem monstrantorii usus, eadem in utraque ecclesia gestabantur vexilla signaque sacra, tum imagines Deiparae Sanctorumque regni Patronorum; tempore processionum in ecclesiis, intus et foris, iidem in lingua polona sacrorum carminum cantus, eaedem in honorem Christi et Deiparae horariae preces, coronae, rosaria, via crucis et sacri scapularis usus. Ad augendam porro Dei gloriam et promovendum festorum Ecclesiae latinae splendorem sacerdotes ritus graeci eorumque fideles in publica processione cum cantu sacro, imaginibus Sanctorum vexillisque accedebant ad ecclesias latini ritus; in nostris altaribus celebrabant suam liturgiam sacram, poenitentium confessiones excipiebant, tum ad populum praecones erant verbi divini in polono sermone. Simili quoque ratione populus ritus latini particeps erat sacrarum indulgentiarum et festorum graeci uniti ritus; sacerdotes autem latini fuerunt adiutores in omnibus servitiis divinis ecclesiae unitae eiusque fidelium. Et, ut rem paucis absolvamus, inde a synodo Brestensi, per tria fere saecula, duo populi slavi, religiosa et fraterna unione duobus secum iuncti catholicis ritibus, constituebant unum populum, quem vera Christi fides in amicitia sacra copulaverit. Si addamus huic rationi vitae fraternae matrimonia mixta, liberam in uno vel altero catholico ritu educationem prolis, observationem Ecclesiae latinae aut unitatem festorum, ieiunii, tunc mirum neminem incesset, quod fideles latini ritus, habitantes propius ecclesias unitas, in iisdem etiam officia sua sacra peragebant; similiter et uniti, praesertim oppidani, domicilia sua prope ecclesias Latinorum habentes, eas suas paroeciales ecclesias

aestimabant et spirituali commodo suo consulentes, eas continenter frequentabant.

Itaque tale monumentum gloriosum unitatis, quod populus a tribus saeculis Deo et angelis posuerat, iuratissimus fidei sacrae polonaeque gentis hostis, vi infernali pulsus, demoliri in animum induxit et in fundo eius miserrimam suam poni structuram, lacrimis et fidelium sanguine perfusam. Rossicum regimen decrevit ecclesiam fidei catholicae unitam a sancta fide, filiam de matris complexu avellere, populum eius fidelem schismatico gregi addicere, aedes autem eiusdem sacras in haereticos suos vertere usus. In sinistro hoc apostolatu non clerus praeibit schismaticus, sed agmina politiae, copiae militum pedestres, equitum turmae multaeque kozacorum centuriae, per suos ductae praefectos eorumque adiutores, ut supremi regiminis iussa exercerent. Contra leges moresque humanitatis cultae per vim ac furorem schismaticus eiusmodi processus semper agebatur. Omnis tum legum reverentia evanescere coepit, dum cuique praefecto missionis caesareae et militi in acinace et kozaco in eius flagro tota licentia deposita erat, summa ordinatione caesaris.

Schismatica haec oppressio duas Poloniae provincias suo cinxit ferro, i. e. Podlachiam et terram Chełmensem, ubi plurimi incolebant uniti, constituentes dioecesim catholicam ritus graeci, Chełmensem dictam. Sed medium ponderis acris huius persecutivae nubis obduxit Podlachiae provinciam, apud nostrates communiter „*Sancta Podlachia*“ nuncupatam. Tempore persecutionum divisa ea fuit in decanatus quinque: Białensem, Konstantinoviensem seu Janoviensem, Radzynensem, Sokołoviensem et Włodaviensem, respectu habito ad quinque in Podlachia districtus. Vexatio nominis et fidei catholicae unitorum iam anno 1864 est coepta, statim post sedatam Polonorum insurrectionem; et perseveravit usque ad finem potentiae Russorum eorumque de Polonia exitum (a. 1915). Toto hoc dimidio saeculi populus fidelis Podlachiae per varios transibat crudelitatis gradus, a schismatica potentia excogitatos, quippe cui volupe esset, pro fide homines sanctos lacessi, innocentes fidei confessores dirum in modum trucidari, vel relaxando tormenta populum vinculis, inedia, carceribus, devastatione rei domesticae, multis, exsilio in orientales

Rossiae regiones vel in Syberiam affici. Huius in Podlachia persecutionis religiosae praecipui concitatores fuere et duces: 1° Princeps Czerkaski, Tartarus natione, praefectus in cancellaria instructionis publicae et confessionum penes generalem gubernatorem Varsaviae constitutus, homo nullius fidei. 2° Generalis gubernator Varsaviensis comes Berg, natione Germanus et lutheranae confessionis. 3° Eius successor generalis gubernator comes Kotzebue etiamque Germanus et lutheranae haeresis homo. 4° Gubernator Siedlcensis Gromeka, homo nullius fidei praeter hanc unicam spem pro acri suo et indefesso in persecutione unitorum studio sese pauperem ac tenuem ad maiores processurum opes, a caesare grato silvarum vel villarum in Polonia donatione ditesci. 5° Nonnulli rossici popae et praesertim rutheni de Galicia austriaca a regimine conducti, aere nostro publico dotati, tanquam coryphaei ad crescendum schisma studia sua per civitates, paroecias, pagos exercebant; hi erant exactissimi fidelium unitorum eorumque fortitudinis sacrae exploratores, qui etiam vi militari ac caesareae missionis ducibus ea de re praestabant observationes suas et consilia.

Cum schisma perspexisset, contra se non unum, sed tria unita castra tensa, non quidem armata bellicis tormentis, sed fortitudine animi catholici praestantia, vi omni ac terrore illa frangenda superandaque statuit.

Dum autem schismaticis primus hostis erat Ecclesia catholica et sacerdotium catholicum ritus latini, secundus vero inimicus sacerdotium unitum ritus graeci et tertius schismatis adversarius erat populus catholicus ritus graeci, regimen rossicum tres faces belli accendit distinctas. Itaque bellum primum et vexatio contra Ecclesiam catholicam est exorta; secundum bellum contra sacerdotes unitos et tertium idque cruentissimum illatum est fideli ritus graeci populo Podlachiensi. Cui investigandae rei operae summum faciamus pretium, ut mortales sciant homines fidem catholicam populorum eorumque sanctam Ecclesiam semper fuisse et fore invictam divinae potentiae arcem, a qua omnes superbi inimicorum incursus repulsam patientur et pudorem.

CAPUT I.

Ecclesiae ritus latini vexatio.

Initio a. 1863 archiepiscopus Varsaviensis, Felix Feliński, qui omni cura pastorali Polonorum effervescentes inimicitias adversus regimen rossicum sedare studebat, coram auditorio sacro in ecclesia sua cathedrali pacifica caesaris verba, quae ab ipso audiverat, in medium protulit. Ille pastoris modus pacificandi excandescentis populi aliique eiusdem actus magnopere caesari displicuerunt, qua de re archiepiscopus Feliński Petropolim ad audiendum eius verbum ingratum vocatus, exinde in civitatem rossicam Jarosław relegatus est. Successor quoque eius praeconisatus episcopus-suffraganeus Varsaviensis, Paulus Rzewuski, administrator metropolitanus, dum archiepiscopi sui vestigia premit in regimine populi pacificandi, exsilio Varsavia in civitatem Astrahań mulctatur. Item secundus archiepiscopi successor admistrator Varsaviensis, praelatus Szczygielski, quia iuri suo cedere atque iurisdictionem spiritualem et administrativam ad voluntatem regiminis rossici deponere noluit in interiores Rossiae provincias pulsus est. Eam proinde sortem consequitur canonicus Domagalski, tertius archiepiscopi successor, ab illo in administranda archidioecesi Varsaviensi designatus.

Dum haec Varsaviae et in Varsaviensi provincia catholica aguntur, Arsenius, archiepiscopus Varsaviensis schismaticus, oculos suos eodem tempore in Podlachiam coniicit, suamque mentem ac desideria aggressiva exprimit in officiali scripto ad Milutinum, iniciatorem reformationis regni Poloniae, misso. Ille iam tunc personam defensoris Podlachiae gessit contra clerum latini ritus et sustinuit quasi suam auctoritatem futuri huius provinciae pastoris: »Necessum est regimini rossico (scribit Arsenius) adhibere media fortiora in Podlachia ad refrenandam auctoritatem cleri latini ritus in Podlachienses unitos, ut ecclesia eorum salvetur ab irreparabili eius ruina, nec non defendere sermonis rossici reliquias contra influxus linguae polonae«. Ministerium rossicum, quod nunquam attendit ad consilia episcoporum suorum, praesentes archiepiscopi sui Varsaviensis rationes animo propenso exsequi statuit. Anno igitur 1864 edictum caesaris omnes cuiuscunque ordinis de regno Poloniae reppulit monachos. Quietos et suae sortis inscios quadam nocte de Podlachia in

adversam Vistulae oram transportat, alios de regno exire urget, ceteris in aliquot monasteriorum conventibus habitandum coactis, annuam in sustentationem eorum vitae quinquaginta rublorum assignat pensionem, aequalem centum viginti quinque italicis liris; praeterea ipsos de monasteriis ut sicut incarceratos et odiosos homines foris in sui ordinis habitu exire vetat. Omnes tum ecclesiae atque aedes religiosae ad usus schismaticos destinantur. Dioecesis Podlachiensis, orbata centum sexaginta monachis eorumque sacro destituta servitio, onerosissimo sui apostolatus studio se magis magisque accingere debuit, adhortante et praeeunte in sacris laboribus pastore suo vigilantissimo, Benjamin Szymański.

Tum etiam bona paroeciarum et ecclesiarum earumque agri, silvae, proventus fisco sunt addicti et in aerarium publicum relati. Loco tituli legitimi, canonici paroeciarum et parochorum edicto caesaris novum officiale percrebuit administrationum administratorumque nomen et in annuam sustentationem curati paroeciae regimen assignavit trecentos argenteos russicos, eiusque vicario centum quinquaginta; clerus polonus, usque eo sui iuris, tunc imperii rossici aeque atque eiusdem popae subditus officialis exstitit. Scholae dioecesanae iuventutis sacrae, seminaria cleri catholici, hostili vexata modo, destituta sunt omnibus bonis suis, possessionibus, agris; iam inde molesta sollicitudo, ut instituta haec in dies prospero uterentur statu, permagnis episcopos totumque clerum affecit curis. Inimicissimum caesaris edictum mox (13. V. 1865) academiae Romano-catholicae Varsaviensis clausit ostia, quae quidem schola, studio suo catholicissimo simul ac vivo patriae suae amore caesari infesta est visa et Petropolim translata.

Caesar insuper proposuit generali gubernatori, Varsaviae residenti, aspera media defendendae ecclesiae unitae contra importunam agitationem studiaque cleri catholici in Podlachia. Gubernatori tunc visa est opportuna translatio cathedrae catholicae, episcopi eiusque curiae de Janovia in aliam Podlachiae civitatem, videlicet in Siedlce gubernii sedem, Węgrów vel Łuków; sed cum perspexisset, propositum hoc magna incommoda atque aerario publico impensas moliri, mutato consilio sedem episcopi de Janovia penitus removere statuit. Et interim unacum principe Czerkaski odio suo iraque attigit episcopum Szymański, perinde ac si esset auctor et dux cleri contra regiminis voluntatem.

Acris haec vexatio episcopi perstitit usque ad a. 1868, quippe qui Janoviae in palatio suo propemodum incarceratus ac sine uno pensionis obolo, per politiam custoditus, vitam a pastoris officio impeditam et quasi eremiticam duxisset. Tandem caesaris edictum a. 1868 dioecesim, sedem cathedralem episcopi, seminarium et capitulum Podlachiense Janoviae sustulit: episcopus Szymański deportatus Varsaviam primum, postea translatus est Łomżam, ubi in monasterio Cappucinorum (cuius quidem ordinis sodalis erat) detentus brevi decessit (15. I. 1868); Janoviae vero aedes episcopi, capituli, seminarii politia rossica ad suos convertit usus. Dioecesis Podlachiensis seu Janoviensis iuncta est Lublinensi atque eius iurisdictioni subiecta; seminarium quoque Janoviense, tum Lublinum translatum, una cum Lublinensi schola sacra unum exinde constituebat institutum.

Quibus peractis regimen severe defendit clero catholico et unito, ne in divinis servitiis, in ecclesiis vel extra, societate vel amicali opera inter se communicarent, gravibus in contrarios statutis poenis et mulctis. Toti etiam tum regno Poloniae interdixit (1868) per campos, pagos, villas et vias publicas ac privatas erigere cruces catholicas vel iam erectas renovare aut reficere, sub poena mulctae et carceris eo fortassis fine, ne signa haec pietatis catholicae, in nostra regione observata cultaque, schismaticum offenderent animum, neve professio haec manifesta fidei catholicae admoneret evidenter regionem hanc et populum esse catholicum. Non multo post (15. IX. 1870) idem regimen clericis catholicis prohibuit, ne de paroeciis suis exirent sine officiali syngrapho, quamvis politiae officiales optime scirent personam sacerdotis. Eodem tempore exiit caesaris decretum, quod contra statuta, a duobus iam praedecessoribus eius in throno regni Poloniae iuramento firmata, religionem catholicam in catholicissima Polonia aequavit cum extraneis confessionibus, haeretica et iudaica, schisma vero suum in regno nostro constituit ac religionem caesaream dominantem promulgavit.

Ruptis autem officialibus cum Vaticano relationibus, caesar Petropoli excogitavit novum collegium cleri catholici, i e. magisterium, in quo episcoporum suorum delegationem prae se ferrent canonici, ab unoquoque illorum missi, ad recipiendas omnes relationes cum Sede apostolica easque Vaticanum remit-

tendas. Cum institutio haec caesaris arbitraria, libertati atque Ecclesiae catholicae legibus adversa, interdiceret episcoporum cum S-mo Patre fidam relationem, episcopi ad hoc magisterium suos mittere delegatos recusarunt. Quae cum ita essent, caesar episcopum Plocensem, Vincentium Popiel atque alterum episcopum Augustoviensis dioecesis, Constantinum Łubieński, de eorum sedibus remotos, in exsilium ad intimas Rossiae gubernias deportari iussit; quorum alter Łubieński, in exsilio mox inopinate vita functus est (veneno sublatus? 16. IX. 1869). Adversa haec Ecclesiae canonibus condicio, inflexibili natura caesaris obfirmati provocata, per aliquod tempus in suo puncto mortuo stetit immobilis, donec tandem, annuente Vaticano, ad excogitatum collegii portentum episcopi ordinarii declinantes infortunia indignationis caesaris, coeperint mittere per ordinem dioecesium sic dictos assessores ad triennium electos, attamen iurisdictio eorum erat prorsus nulla.

Eo quoque tempore (15. VI. 1870) regimen rossicum mandavit parochis latinis in Podlachia unitorum personas de suis ecclesiis una cum eorundem votis, vexillis, libris precum emovere, nec non etiam eorum de libris ecclesiarum inscripta inducere nomina. Item singulis in Podlachia parochis praecepit novos stipendiorum missarum parari libros, in quibus lingua rossica personae offerentis nomen eiusque intentio singularis exprimerentur, ne uniti pro se aut pro suis defunctis deponerent stipendia. Mense insequenti (6. VII) regimen cohibuit in Podlachia cleri congregationem, praesertim tempore festorum, indulgentiarum, funerum, processionum vel confessionis paschalis tempore; iussit praeterea unitos de piis excludi congregationibus catholicis servitiisque devotis. Paucis annis post (15. V. 1874) generalis gubernator Varsaviensis praecepit politiae in Podlachia a quovis clerico catholico repetere syngraphum, ne a paroeciis ad suos etiam vicinos communionis fraternae vel conversationis causa exirent, potissimum vero, ne cum sacerdotibus unitis communicarentur. Praeterea (5. VII.) idem gubernator mandavit clero catholico die dominica proxime sequenti vel festa in ecclesiis suis congregato populo officialia ipsi missa legere scripta et loco verbi divini crudelissimum ac falsum populo fideli deferri nuntium, unitos totam per Podlachiam, in genua ad pedes magni caesaris sui provolutos, accessum suum

ad schisma rossicum humillime expetivisse ac caesarem, licet perinvitum, molestas unitorum accipiendas censuisse preces. Cleri catholici condicio illa animi tempestate perquam iniqua erat. Qui recusavit politiae iussa exsequi, vel qui hac in causa consulto interponebat moram, exspectans episcopi sui ordinationem, permagnis puniebatur mulctis. Sed horum non satis.

Anno videlicet 1876 die octava novembris caesar vetuit omnes cleri congregationes decanales nec non recollectiones, inoboedientibus graves minatus poenas. Insuper edicto hoc prohibuit clerum ignotarum personarum sacras audire confessiones; qui vero confiteri in ecclesiis catholicis studerent, suum confessario debebant praestare syngraphum, ut sciret, de quo venirent loco et qualis essent fidei. In ecclesiis catholicis confessiones sacraeque communiones nec non alia sacramenta graviter erant interdicta extraneis et peregrinis. Aliud eiusdem a. edictum supremum (15. VIII.), idque Ecclesiae inimicissimum vetuit clerum edocere etiam catholicam iuventutem fidei elementa domi suae, in sacellis sacris, scholis publicis vel in aedibus paroeciae; tantum in ecclesiis parochialibus et certis a politia designatis diebus horisque permissa est iuventutis catholicae cathechizatio, et quidem sub vigilantissima politiae censura, ne docens fidem extolleret ecclesiam Romanam eamque aliis confessionibus praeferret. Eo quoque mense (19. VIII.) generalis gubernator iubet clerum catholicum arduum exsequi mandatum, scilicet ut a militibus et omnibus officialibus administravi iudicialisque magisterii catholicis excipiatur iusiurandum in sermone rossico, qnamvis eundem iurans prorsus ignoret.

Cum iam populus fidelis unitorum in Podlachia, purpuratus martyrum suorum sanguine, spoliatus ecclesiis suisque orbatus sacerdotibus, defunctorum suorum corpora medio noctis silentio ipse sepelire coepisset, anno iam dicto 1876 die trigesima octobris regimen rossicum parochis catholicis praecepit noctu custodire coemeteriorum portas, ut impedirentur uniti, quin schismaticum neglegerent ritum. Eodem tandem tempore (16. XI.) ministerium rossicum vetuit clerum populumque catholicum usitatam ab antiquo in sacris litaniis Beatissimae Virginis Mariae invocationem *„Regina regni Poloniae, ora pro nobis“* in ecclesiis cantare vel recitare publice, fortassis ideo,

quod non B. V. Maria nec caelum, sed tantummodo magnus caesar Poloniam regeret.

Ex his, quamquam nonnullis ac brevissime in lucem prolatis, facile iudicare possumus, quam adversa summeque afflicta fuerit cleri et Ecclesiae catholicae condicio in Podlachia, quippe quae in suscepto iniquo consilio caesaris per Podlachiam sanctam dirum plantare schisma exstitisset arx fidei munita, tutissimumque populi uniti perfugium. Nil inde mirum, quod caesari placuerit loco huius arcis et unitorum perfugii exstruere arcem improbitatis ac latrocinii schismatici castellum.

Nunc iam ad monumenta consignanda alterius infestae vexationis, quae clero fideli »unitorum« per schismaticum regimen illata est, accedamus.

CAPUT II.

Ecclesiae catholicae ritus graeci vexatio.

Episcopus unitorum, Ioannes Kaliński, ritus graeci, integra fide sancteque dioecesim Chełmensem rexit annis tribus (1863 — 1866). Praeconisatus fuit a papa Pio IX, sed non consecratus, quia per totum suorum laborum spatium officia boni pastoris custodisque vigilantissimi in dioecesi sua opponebat voluntati caesaris ac gubernatorum regiminis rossici, qui in studiis theologicis iuventutis sacrae Chełmensis usum linguae rossicae loco latinae introducere, post inde suum per universam dioecesim Chełmensem schisma inferre studuerunt. Qua de re persona episcopi Kaliński regimini rossico non solum ingrata, verum summopere invisa erat, neque unquam ad sacram eius consecrationem admissa. Speravit enim regimen, Kaliński nominatum tantummodo a caesare et a papa praeconisatum in consecrationis suae exspectatione, quae ab arbitrio regiminis dependeret, facilius voluntati et regiminis rationibus assensurum.

Sed spes haec regiminis plane evanuit, dum episcopus, licet non consecratus et annis confectus, divina tamen adiutus ope valuit iniqua regiminis schismatici consilia abiicere, nec non molesta exinde potius suae vitae incommoda pati, quam applausus schismaticos et mercedem eorum mereri. Studiosissimus hic Ecclesiae defensor custosque fidelis contra schisma rossicum

a caesare dioecesi sua privatus in exsilium mittitur et Viatcae, in remota Rossiae civitate, morbo cordis oppressus primo exsilii sui mense decessit (19. X. 1866).

Ante episcopi huius deportationem regimen rossicum nihil inexpertum reliquit, ut optata sua victoriamque de episcopo senili consequi posset. Quo fine gubernator generalis episcopo, imprimis Lublinum apportato, caesaris gratiam promissam fecit, etiamtum pollicitus breve tempus eius consecrationis, demum decem millia imperialium argenteorum ad eiusdem vitae commoda offert et liberum in dioecesim suam reditum promittit, ea tantum condicione adiecta, ut a sua continua oppositione regimini obiecta desistat. Verum episcopus, apostolica fortitudine plenus, exsilium potius et carcerem elegit, quam proditionis consilia contra Ecclesiam Christi inire; toto molesti itineris tempore solo tantum vescebatur pane, quem secum providit. Justis itaque laudibus Papa IX. in allocutione sua, ad gremium S. R. E. cardinalium habita (29. X. 1866), memoriam huius pastoris sacram atque ecclesiae suae defensoris strenui extulit.

Tempore regiminis episcopi Kaliński edictum caesaris a. 1864 vigesima septima octobris imprimis tollit monachos ex ordine S. Basilii unitorum; sacerdotes de quinque monasteriis transfert Varsaviam eosque ad plateam Miodowa in quasi-monasterium cogit collocatos, ecclesiae vero eorum ac monasteriorum aedes publico addicuntur usui. Caesar iste rossicus, Alexander II, offensa atque insolentia sua adversus Ecclesiam catholicam pressus, contra actum canonizationis beati Josaphat corpus eiusdem archiepiscopi et martyris de sacro eius altari in ecclesia Białensi cultum deiici iussit; quod quidem opus nefandum a quattuor schismaticis popis, spe gratiae mercedisque conductis, summo secreto, ne populi fidelis excitaretur tumultus, perpetratum est. Praeclarae vero et pretiosae huius sancti imagines de oppidis Biała, Janovia, Lublino exemptae de altaribus, in praeparatis depositae cistis, Moscoviam sunt transportatae ibique in pinacotheca Rumiancow depositae.

Tunc autem temporis, quo verus pastor ecclesiae Chełmensis, Kaliński, vi schismatica de sua dioecesi ablatus est, presbyter Wójcicki, ecclesiae cathedralis Chełmensis cantorum magister, sese schismatis promotorem atque assentiente

regimine rectorem dioecesis declaravit. Qui una cum principe Czerkaski de ecclesiis unitorum statuit amovere omnia, quae in iis schismaticorum oculos offendere possent, omnia quae Ecclesia catholica veneratur atque usu suo colit quotidiano, sed quae maximo persequitur schisma odio. Ex inordinato igitur statu ecclesiarum dioecesis in ordinem omnia sunt adducenda: imprimis amovenda esse organa, quamquam modulationi cantus populi fidelis grata, confessionum removendae cathedrae, Sanctorum imagines in processionibus publicis portatae, vexilla, campanulae, superpellicea, stolae, processiones publicae, herbarum benedictiones, solemnitas Corporis Christi, monstrantorii usus in Sanctissimi publica expositione ac processione, de Conceptione Immaculata B. V. Mariae cantus horarii religiosus, rosariorum et coronarum cantus, scapularium usus, praecipue vero usus linguae polonae cum in cantu ecclesiastico vel in orationibus, tum vel maxime prohibendus in privata societate cum populo atque in parochorum concionibus publicis ad populum habitis. Et quamvis tunc nemo propagatorum schismatis palam de populi fidelis a sancta Ecclesia Romana seiunctione aliquod edixisset verbum, tamen sacerdotes uniti eorumque populus fidelis optime iam cognitum habuerunt regiminis schismatici propositum Ecclesiae catholicae esse invidum. Omnes praeterea etiamtum tenebant memoriam improbissimi facti, cruentae videlicet vexationis Ecclesiae catholicae in Alba Russia a. 1838, quo quidem simili modo subdolo et infernali schismati proprio: fraude, mendacio, tandem sanguinolento cruciatu avulsi sunt fideles a sancto fidei nexu, ab ecclesia Romano-catholica. Wójcicki in seminarii theologicis et historicis studiis loco linguae latinae polonae introduxit usum rossicae. Culturam animi, philosophiam pro nihilo putavit; philosophiae studia popis rossicis superflua ipsisque detrimento esse censuit, quamobrem sex annorum consueta studia in seminario clericorum ad trium vel etiam duorum annorum spatium reduxit. Amici et assectatores idearum Wójcicki maximique schismatis coryphaei erant omnes de Galicia austriaca advenae, Rutheni natione, in quibus eminebant Krynicki, Diaczan, Ławrowski et Marcellus Popiel. Ad dignitates atque officia decanorum in dioecesi a Wójcicki de Galicia vocati promptissimi voluntatis eiusdem exsecutores facti sunt; quorum erat in societatem cum

reliquis, praesertim vero cum senioribus sacerdotibus venire, in eorum animos sensim influere, ut schisma rossicum tanquam sacram magni imperatoris fidem agnoscerent.

Sed Deus, cordium suorum fidelium et sacerdotum custos, ea praevenire, gratia sua inimicorum consilia infida praerumpere eaque antevertere praestitit. Fideles enim sacerdotes uniti in omnibus decanatibus suis conveniunt, deliberant, consilia agitant sua, tandem concordisime decernunt, quod invidum schisma iam aperte sua infert extenditque vincula. Ergo unanimiter constituunt sese a communitate cum Wójcicki eiusque consistorio nec non ab eius de Galicia popis intrusis esse disiunctos nullamque eiusdem in dioecesi iurisdictionem agnoscere posse, dum haec in persona Wójcicki, qui versute se ipsum elegit seseque ipsis obtulit, illegitima sit. Propositum igitur cleri unitorum congregati in dioecesi Chełmensi erat videlicet, »ut vicarius capitularis dioecesis Chełmensis post exsilium et mortem episcopi, secundum synodi Tridentinae statuta a canonicis cathedralibus eligatur ac sanctae Sedi apostolicae praesentetur confirmandus. Quodsi autem hoc impossibile sit ob dominans iam in cathedra Chełmensi ibique superbe consessum schisma, ipsis unum tantum patet ingressus ad serenissimam imperatoris magnanimitatem cum libello supplici, ut praedictum disordinem in dioecesi Chełmensi tollere et ad statum iuris pristinum revocare auctoritate sua imperiali dignetur«. Et dum libellus iste supplex sacerdotum formatur, Wójcicki, per suos asseclas de hoc consilio sacerdotum sibi inimico certior factus, una cum gubernatore Siedlcensi praeparat carceres, in quos aetate, doctrina, meritis auctoritateque praestantes 40 sacerdotes detrudit ac detinet, alios vero in libertate quidem relinquit, attamen eorum mores et vitam stricte observat, ne suum excogitatum ad caesarem dirigendum libellum supplicem ad manus generalis Varsaviensis, comitis Berg, deferant. In libello eo nomina sua et cognomina posuerunt tres canonici residui capituli Chełmensis, omnes priores dioecesis decani nec non centum prope parochi uniti, quorum quattuordecim personae in gremio eum in manus gubernatoris generalis deposuerunt, prece addita, ut libellum hunc caesari mittere dignaretur. Cuius quidem libelli tenor erat sequens: 1° Regimen dioecesis Chełmensis hodiernum, uti contrarium

Ecclesiae canonibus, removere et novum eligere secundum Tridentinae decreta nec non condiciones concordati cum s. Sede apostolica contracti, per regimen rossicum acceptatas a. 1824. 2° Offerre s. Sedi apostolicae ad praeconisationem apostolicam candidatum in episcopum dioecesis Chełmensis electum de clero dioecesis, non vero de Galicia accepto. 3° Eligere modo canonico capitulum cathedrale, scilicet quinque praelatos et octo canonicos de sacerdotum dioecesis gremio, doctrina catholica, fide et morum probitate conspicuos. 4° Regimen consistorii illegitimi removere, curiam vero episcopalem instituere iuxta statuta Ecclesiae catholicae constantem vicario generali, officiali, iudicibus surrogatis, cancellario et secretario, ab episcopo electis et de clero dioecesano sumendis. 5° Seminarium novum clericorum secundum statuta Ecclesiae instituere, dependens ab iurisdictione episcopi et capitulo cathedrali. 6° Programma studiorum in seminario hoc instituere vetus hodierni loco, quod contrarium est Ecclesiae legibus. 7° Alumnos seminarii eminentes doctrinali studio, animo morumque modestia mittere in academiam Romano-catholicam Varsaviensem, ut eruditi in theologiae, iuris canonici, philosophiae scientiis possent praeire in seminario iuventutis sacrae professores et rectores. 8° Designare fundum annuum in conservationem aedium episcopi, capituli, curiae episcopalis, seminarii in auctionem librorum bibliothecae instituti seminarii et congruam pensionem officiosis personis, et quidem secundum acceptas per regimen condiciones concordati. 9° et ultimo: Instituere scholas parochiales sub tutela sacerdotum, et loco linguae rossicae populo ignotae introducere linguam polonam ab incolis usitatam.

Responsum caesaris ad haec postulata precesque cleri uniti humillimas vexationem eius non modo non minuit, sed etiam exacuit magis, quod clero seniori iam praevisum fuit. Clerus unitorum suum conscientiae officium adimplevit, humiliter adprecatus. Caesar sine conscientiae suae stimulo. fastidio animi et schismati indulgens iraque magis succensus, gubernatorem Varsaviensem in clerum unitum Podlachiae acrius invehere iussit: de numero in libello subscriptorum sacerdotes seniores et digniores citare ordinat atque in carcerem detrudit. Gromeka et Wójcicki suum obibant triumphum. Imprimis parochus paroeciae Drelów de decanatu Radzynensi, *Ioannes Welinowicz*,

iussu Wójcicki in carcerem missus, ibidem pro fide et defensione veritatis catholicae supremum diem obiit. Eo etiam tempore alter sacerdos *Charłampowicz*, parochus paroeciae Lubień decanatus Włodaviensis, iussu eiusdem Wójcicki cum consensu gubernatoris generalis in Syberiam relegatus, in exsilio brevi mortuus est.

Dum haec aguntur, certantibus secum superbia, vi, vindicta una ex parte, ex altera vero patientia, humilitate, vi morali gratia Dei adiuta, caesar tandem inermem Christi petram contundi quidem, sed comminui facile non posse perspexit. Post longam igitur deliberationem schismaticam machinam in Podlachia agentem ad tempus compescit, licentiae apostolorum suorum iniicit frenum et dioecesi Chełmensi catholicum ritus graeci episcopum de Galicia invitatum, qui tamen Polonis Latinisque alienissimo esset animo, dandum decrevit. Talis candidatus citius, quam quisque crederet, inventus est in persona Michaëlis Kuziemski, qui erat praelatus archidiaconus Leopoliensis, vicarius generalis metropolitae, natione Ruthenus. Electionem hanc clerus polonus infelicem censuit, quamvis Kuziemski fidei catholicae esset studiosus, notus tamen erat omnibus, quod toto vitae suae decursu in Polonos nec non Latinos continuo et sine causa ferebatur infestus. D. 22. maii a. 1868 Sedi apostolicae per regimen rossicum praesentatus, 22 iunii praeconisatus est episcopus Chełmensis. Kuziemski, plenus spe libertatis in iurisdictione exercenda regendaque dioecesi, venit quidem laetus, sed brevi rem oculis compertam habuit, actionem suam pastoralem non solum in clero et populo, verum etiam in ipso sacro Ecclesiae loco legibus schismaticis esse circumscriptam. Agitatores rossici atque eorum adiutrix de Galiciae clero in Podlachiam conducta phalanx una cum Wójcicki, Popiel aliisque eiusdem farinae satellitibus desiderio flagrabant, ut novus episcopus ecclesiam unitam fidei rossicae rituique eius externa saltem forma adsimilare approperaret. Universus tamen populus unitus eiusque veri pastores vel maxime curabant, ut ecclesia eorum eadem fidei doctrina, iisdem sacrorum usibus, rituum caeremoniis, cantu et concionibus ad populum secundum statuta synodi Zamościensis ac patrum antiquorum mores remaneret intacta.

Episcopus Kuziemski, inter duas hasce contrarias sibi

partes interiectus, animo nunc huc, nunc illuc fluctuans nihil unquam effecit. Non constravit quidem pontem, ecclesiam eius et schisma rossicum iungentem: inde schismaticorum odium meruit. Non defendit contra regiminis rossici iussa antiquam sacrarum precum in ecclesia Chełmensi consuetudinem: inde populi fidelisque cleri, magna molestia conflicti, incurrit in invidiam. Sic inter bellum et pacem, inter schisma et Ecclesiam catholicam Kuziemski desidiae atque inertiae se dedit, ambiguus dubiusque exstitit, qui utique non scivit se Christi esse apostolum, pastoris fidelium expleturum officia; ruthenica eius lauta politica in throno episcopali siluit elinguis. In sacra calvaria Chełmensi defensor Christi gloriae ac fidelium pastor debuit se in crucem dare, sed imbecillis Ruthenus, quamquam ferociter iactabat coram regimine rossico de inveterata invidia sua contra Polonos simul et Latinos i. e. catholicos, nihil tamem livore hoc suo invido profecit. Imbecillis de sua calvaria aufugit, duobus latronibus Wójcicki et Popiel proiecta sacra sua cruce, ecclesia, grege, iustum portans secum mercenarii characterem et fidelium maledictum. Dioecesim administravit annos duos, menses septem; aufugit connivente regimine mense aprili a. 1871. Papa Pius IX fugam eam Kuziemski gravissime tulit, quod non presserit episcoporum polonorum vestigia, nec praedecessoris sui Kaliński exemplar secutus sit, sed gregem suum fidelem schismaticis lupis disperdendum devorandumque reliquit.

Marcellus Popiel, de Galicia in Podlachiam advena, qui sua iam servitia animamque suam obtulit libenter schismati rossico, per caesarem rector dioecesis Chełmensis designatus est, et quidem eodem mense, quo de Polonia exiit Kuziemski. Popiel ab ingressu Poloniam, etsi intus schismaticus, coram episcopis Kaliński et Kuziemski fidelis catholicus in catholicorum sacerdotum veste apparebat; nunc tamen, iam a caesare rector dioecesis electus, stetit indutus veste schismaticorum poparum, sicuti miles iam armis instructus e lateribus in campum apertum prodiit, ad pugnam pro suo caesare paratus. Imprimis fidelem assiduamque iuventutem de seminario cleri eiicit, de Galicia invitat conducitque iuvenes moribus dispersos et incertos, quos defert episcopo Kijoviensi schismatico, sacerdotio consecrandos; tales brevi tempore fideli populo duces centum triginta sex dedit. Praeter candidatos iuve-

nes item de Galicia pecunia regiminis rossici cogit plurimos popas perfidos, religionis desertores. qui omnes constituebant iam legionem, pro caesare suo novo proni ad bellum gerendum contra fidem Ecclesiae catholicae.

Mense igitur octobri a. 1873 Kotzebue, generalis gubernator Varsaviensis, interrogat omnes in Podlachia unitorum parochos, quinam eorum catholicam neglegere fidem sint parati atque iureiurando strictissimum firmare velint nexum cum sacra caesaris persona. qui vero hoc adimplere recusent; responsum suum unusquisque debet praestare in scripto ante primum diem ianuarii (1874), in tabulario sui districtus deponendum. Postulatis regiminis assentientes et catholicam fidem eiurantes remanebunt in suis paroeciis officiisque, pacifice residendo in suis possessionibus. Qui vero propositionibus regiminis non acquieverint, debent de paroeciis una cum sua familia exire atque in alio gradu sociali quaerere sibi vitae commoda; inoboediens regiminis iussis etiam acerrimorum frigorum tempore vi politiae de possessione paroeciali eiicietur foras. Ad 1^{am} ianuarii gubernator Kotzebue in civitatibus Siedlce, Biała, Sokołów. Radzyń, Włodawa iussit praeparari carceres et unitorum sacerdotes catholicos, qui negativa sua responsa dederint, in eos coniici, ut ibi de suo statu contemplantes favorabile schismati responsum suum offerre possent; interim domus sacerdotis catholici per milites est everrenda, omnis eiusdem familia in frigus eiicienda nullo respectu habito domesticorum infirmorum aut parvulorum sacerdotis liberorum. Kotzebue sperabat fore, ut durissimo hoc iussu suo ad schisma plures sacerdotes converterentur.

Quod optatum ad exitum non pervenit, cum nullus incarceratorum nec eius familia lachrymans pro vitae remediis schismaticis sacram suam dare vellet fidem; unde Kotzebue, Gromeka, Popiel, ira incensi, septem sacerdotes in profundas Rossiae regiones expellunt. Quorum nomina hic notantur sequentia: 1) *Clemens Thaddaeus Witoszyński*, parochus de pago Żmudź, Kostromam relegatus. 2) *Ignatius Bukowicki*, parochus de villa Grodzisk, Penzam expulsus. 3) *Severinus Wojnowski*, parochus de Rostoka, Kostromam missus. 4. *Antonius Zatkalik*, parochus de Horodyszcze, Tułam exsilio mulctatus. 5. *Joannes Charłampowicz*, parochus de Lubień, ad superiorem Nowgorod

missus. 6. *Nicolaus Nazarewicz*, parochus de Tomaszów, Twerum relegatus. 7. *Iacobus Zatkalik*, parochus de Świerze, ad Powieniec expulsus.

Ceteri sacerdotes uniti post poenam carceris in plateam eiecti numero centum quinquaginta, quorum alii servitia civilia adimplere, alii officia cogebantur exercere fabrilia, alii in civitatibus domorum custodiae atque ordini invigilabant, tandem alii in viis ferreis subibant servitia. Omnes autem veri sacrae fidei confessores sacramentalem sacerdotii sui gratiam observabant, atque ex indulto Pii IX et Leonis XIII Romanorum pontificum sanctissimum missae sacrificium domi suae secreto celebrabant, divinum pro suis et pro patria praesidium implorantes; 70 sacerdotes uniti in Galiciam sunt profecti, alii denique 18 sacerdotes carceribus, molestia morboque exhausti duorum annorum spatio variis in locis dispersi, spiritum suum fidelem reddiderunt angelis custodibus. Ecce nomina eorum memoriae viventium hic adponuntur: 1) *Ioannes Welinowicz*, parochus de Drelów, † in carcere Chełmensi. 2) *Ioannes Budziłłowicz*, parochus de Koroszczyn, † Jabłocznae. 3. *Nicon Dyakowski*, parochus de Seroczyn, † in exsilio in Rossia. 4) *Leo Górski*, parochus de Motwice, † Varsaviae. 5) *Michaël Horoszewicz*, parochus de Zbereże, † Radomiae (Radom). 6) *Valerianus Kaliński*, parochus de Dokudów, † Petricoviae (Piotrków). 7) *Ludovicus Łącki*, parochus de Zeszczynka. 8) *Michaël Łukowski*, parochus de Hołubla, † Węgroviae (Węgrów). 9) *Ignatius Pyszczyński* † in palatinatu Augustoviensi. 10) *Alexander Szokalski*, parochus de Bubel, † in carcere Siedlcensi 1874. 11) *Gregorius Wasilewski*, parochus de Gnojno, † in oppido Grojec. 12) *Nicon Zieliński*, parochus de Włodawa, † Łukoviae (Łuków). 13) *Antonius Laurysiewicz*, parochus de Telatyn, † Leopoli (Lwów). 14) *Edwardus Malczyński*, parochus de Sachryń, † prope Sokal. 15) *Nicolaus Malczyński*, parochus de Grabowiec, † prope Milatyn. 16) *Paulus Malczyński*, parochus de Horostyty, † prope Jazłowiec. 17) *Michaël Szulakiewicz*, parochus de Przegaliny, Leopoli. 18) *Gregorius Terlikiewicz*, parochus de Dobryń, † Cracoviae (Kraków). Qui omnes unitorum sacri duces, veri fidei confessores usque ad vitae suae exitum, a Deo iam vocati sunt. Praeclara amoris Dei patriaeque exempla, nec non fortitudinis animi episcopi sui Kaliński vestigia pressere omnes.

In Podlachia qualis sacer clerus, talis erat eius populus fidelis, heroicus. Recenseamus nunc tertiam vexationem funestasque clades, per schisma rossicum fideli populo unito cum Ecclesia latina illatas.

CAPUT III.

Fidelis populi catholici ritus graeci vexatio.

Nunquam regimen rossicum censuit, hominem rusticum de Podlachia vel etiam civitatis incolam catholicum ea, quae religione eius ac divino cultu contineantur, probe habere cognita. Nunquam putabat, populum rusticum amore fidei catholicae ita inflammari, ut pro ea omnia sua reddere atque in eius defensa vitam cum morte commutare vellet. Et cum regimen religionem populi certam consuetudinem ex pia et diuturna eius rituum ac festorum observatione ortam esse putaret, ergo populum hunc, sicuti religioni suae assuescere, ita et pro re nata ab ea desuefieri posse ac debere, dum suprema vis, altum nationum regimen, id postulaverit. Sed ea res aliter evenit.

Princeps Czerkaski de ministerio cultus et confessionum iam a. 1864 sacerdotes unitorum admonuit de eorum officio erudiendi populum, in liturgia sacra eorumque ritibus necessarias esse certas mutationes, ut ad suos sanctos pristinosque usus redire possent; nam regimen summopere exoptat, ut unitorum ecclesia cultus sui externis atque invitis inundata moribus cito se ipsam reformet, ne sit ulterius ecclesiae caesaris odiosa. Cum propositum hoc regiminis ecclesiae unitorum reformandae ad populi Podlachiae ora animosque exiit, delegatio incolarum rusticorum et oppidanorum venit ad caesarem, inquietum ei de religionis atque ecclesiae suae devulgata mutatione suum ostendens animum. Supplex tum eorum libellus eorumque verba humillima admonuere caesarem de eorum in fide catholicae constantia; hisce permotus edixit ad eos: »Quieta mente estote! Verbum caesareum pono, me non passurum esse mutari aut impediri religionem vestram«. Verborum caesaris omnes uniti memoriam servantes pervulgabant ea suis, spem tamen in illis non reponebant ullam; quod etiam insequens rerum exitus plenissime comprobavit. Populus Podlachiensis, qui a regimine rossico habebatur impolitus ac rudis, vita, animo,

moribus fere aequalis profundae Rossiae incolis et barbaris, in vitae suae quaestionibus et certamine pro ecclesia sua praebuit se humanissimum, doctum, eloquentem, constantem fidei defensorem, patientem usque ad exitum vitae suae, inimicorum suorum parcentem criminibus et caedi crudelissimae.

Iam vero a. 1864 die vigesima sexta iulii generalis gubernator Varsaviensis ecclesiarum unitorum curam et inspectionem ademit parochis, institutis ecclesiarum curatoribus seu oeconomis a gubernio designatis; quo quidem facto ecclesiis catholicis iam schismaticum impositum est signum. Praeterea scholae in civitatibus ac rurales, ubi utriusque sexus iuventus studebat doctrinis elementariis et cathechismo in lingua vulgari polona, eo quoque anno sunt clausae earumque cura collata est praeceptoribus schismaticis vel etiam pessimi nominis mulierculis, quae officialium guberniae vel districtus utebantur favore. Populus fidelis vi adactus solvebat quidem pecuniam ad sustentandum scholae praeceptorem, sed ad eam liberos non mittebat suos, quia schola huiusmodi schismatica sacerdoti catholico praecludebat aditum. — Wójcicki, dioecesis Chełmensis rector a regimine rossico institutus, veris pastoribus de paroeciis remotis in eorum locum de Galicia conductos promovere coepit popas. Qui cum ritum liturgiae sacrae divinaque officia ad ritus schismaticos accommodantes, rossico sermone in ecclesia populum huius linguae ignarum adloqui coepissent, populus fidelis, sancto inflammatus ardore, vehementer opposuit se popis. Tunc regimen saevitiam suam in populum fidelem adhibendam esse statuit, qua in re acerbissimas in eum vexationes excogitarunt politiae magistri; itaque infimis politiae officialibus data est licentia huiusmodi quaestionibus adimplendis. Fideles pro divini cultus zelo suo alii diu noctuque sine cibo potuque detinebantur in carceribus, alii vero stabant foris penes tabularia politiae militibus circumclusi publiceque caesi. Pro contemptu popae schismatici eiusque de ecclesia eiectione seniores fideles pecuniarum poenam solvere cogebantur vel ea deficiente, politia, spoliatis pridem rustici rebus usui domestico necessariis, constituta auctione publica vendebat eas ad impositam mulctam persolvendam. Patres autem familiarum pro despectu cultus schismatici inhumana saepe aut inaudita exercebant servitia, in vanum praestita. Siquidem obligabantur iungere equos suos

currum tracturos et cum schedula officiali proficisci ad tabularium politiae vicinum, de hac vero cancellaria sine intermissu ad alterum properare tabularium, inde porro nec mora nec requies festinare in aliud, et sic in praefinito tempore omnes adimplere cursus. Si homo fidelis poenam hanc tempore praestituto absolvere tardaverit, id ipsum iter cursumque vanum repetere iterum iubebatur, quamquam exanimatus cursu ac lassitudine confectus prae fame vix spiritum traxerit una cum iumento suo.

Eiusmodi vexationum unitorum ecclesiae populique Podlachiensis status molestus permanebat usque ad a. 1874, i. e. ad cruentam illam et hostilem confessorum fidei perfusionem sanguinis. Nec mutavit eum episcopi Kuziemski praesentia, ex quo sacerdotes populusque unitus iure quaerebant, ut non ruthenum characterem suum, quem regiminis rossici auspicio praeferebat polono, sed potius pastoralem et catholicum, ut vocationi suae debuit, anteponeret rutheno. Interea generalis gubernator Varsaviensis unitorum nuncios, mandato suo electos, misit in Galiciam orientalem, ut viderent in ecclesiis unitorum omnes ritus atque officii divini contemplarentur ordinem, communicantes cum Galiciae populo, qui sit aeque fidelis ac Podlachienses incolae. Quae legatio de Podlachia venit et rediit, magno perfusa scandalo, quod in Galicia sacerdotes populumque minus religiosos et pios invenerit atque ea, quae divino continentur cultu, non tam sancte et integre nec cum eo divini cultus ardore atque in Podlachia tractari rite observavit; unde legatio haec prae timore, ne ecclesia unitorum gubernaretur ac permutaretur ad exemplar consuetudinis rossicae, pias preces emisit desideriumque suum sacrum, ne mores neque exemplar cultus divini de Galicia in Podlachiam transplantarentur.

Iam tertia pars parochorum unitorum erat in carceres detrusa eorumque locum popae schismatici obsederunt intrusi, a politiae magistris quidem introducti, sed extemplo de ecclesiae ac de domo parochiali a populo fideli eiecti. Quae res magna admiratione et stupore politiam nec non gubernatores oppressit, quod populus defensor fidei ecclesiae suae suorumque parochorum tutor, contra intrusos, quos detinebat gubernium, inimicum ostenderit animum. Ex hoc facto, quod in Podlachia generale exiit, vexationes maximae stragesque poenales in uni-

tos redundarunt. Populus fidelis coram magisterio se iuste excusabat, se esse fidelissimum sui caesaris servum, cum omnia servitia publica expleret, tributa solveret, filios suos imperii militiae redderet; ergo ipse relinquendus est in sua pristina fide catholica, quam a proavis suis ordinante Deo accepisset. Pepulerunt quidem (dicebant uniti) de ecclesia sua et paroecia hominem, non vero sacerdotem Dei, quem non papa, sanctus vicarius Christi, neque episcopus misit catholicus, sed qui voluntate propria adstante politia, ecclesiam eorum invasit, qui non catholica vetusta in ea, sed sua haeretica ausus est peragere officia; qua de causa non pastorem, sed lupum propulerunt de Ecclesia Christi ac de sua domo parochiali. Intrepide quoque defendebant suos veros pastores non tantum verbis, sed interdum etiam actu. Haud enim raro de manibus politiae vi sua eripiebant sacerdotem aut etiam de agmine kozacorum, conducente parochum ad carcerem damnatum. A magisterio et gubernatore exquirebant, ut si eorum iusti, studiosi, fervidi in officiis suis adimplendis sacerdotes meruissent apud potestatem civilem puniri atque eiici de paroecia, prius in causa deliquentium accusatorum ordo iusti iudicii servaretur, cognita demum causa et probata argumentis certis accusatione iusto decreto tribunalis puniretur aut absolveretur sacerdos.

Certo equidem fideles uniti sciebant, a iurisprudentia mundi nec non etiam imperii rossici in codicem suum nondum esse relatam causam sacerdotis catholici, fideliter sua implentis officia tanquam crimen dignum accusatione, iudicio ac poena vindicativa; iuste igitur quaerebant iudicium in sacerdotes atque in se ipsos etiam, dum actu defendebant parochum suum contra politiae iniustitiam. Sed nesciebant afflicti, causam caesareae religionis schismaticae aeque ac belli aggressivi exstirpantisque populos nondum iudiciorum limina transcendisse. »Volumus iusto et fideli pectore nostro (dicebant molesti) cum nostro patre fideli in carcere esse detenti, quam libere domi et in ecclesia nostra intrusi et lupi fieri compotes praeda. Si parochus noster, explendo fideliter officia sua sacra, nefarium admiserit crimen, nos, dum facinoris eius sumus consortes et defensores, ergo nos cum ipso aequali arcessite iudicio et vestro decreto«. Tunc seniores populi incarcerati sunt, reliqui a kozacis et politia, ut domum redirent, pulsi et ad pecunia-

riam poenam damnati; praestantissimi vero ratione, iudicio audaciaque intrepida saepissime in profundas Rossiae regiones relegati.

Populus iste fidelis semper ad pugnam pacificam paratus contra profanationem ecclesiarum suarum per schisma ingruens, sed vexationibus, saevitiis, quas experiebatur continuo, ultro sustinendis impar, nunquam tamen animo succubuit. Ut liberaret ab incursu schismatis ecclesiam suam, enitebatur atque heroicis fere factis id probavit, ut suum toto catholico mundo clarissimum ostenderet exemplum. Sacerdotibus suis orbatus, sine ecclesia, altari, sacrificio missae, sine sacrorum sacramentorum usu et doctrina catholica populus iste sacras olim sedes suas, quas manibus propriis vel suorum patrum studio ac labore fundaverat, nunc schismatis labe contaminatas derelinquere est coactus. Summis affectus incommodis vitae, rei familiaris iacturam passus, omnibus intolerandis humanae patientiae cruciatibus vexatus, ea mente nefaria ab imperio rossico posita, ut conscientiae catholicae iniecto schismaticorum vinculorum coactu Podlachienses incolae aestum amoris suae fidei patriaeque amitterent, populus unitus vidit prope suum praesidium ac matrem. Incolis Podlachiae afflictis unicum solacium praebebat Ecclesia catholica latina, cuius postes vicinae cunctis fidelibus, eo magis fratribus afflictis patebant. Fideles uniti paternae Ecclesiae latinae extensa brachia invenerunt, eique toto corde velutsi suae matri vetustissimae adhaeserunt, quae eis ex aerario Christi et fraterno ministrorum suorum corde omnia, quibus a rossico schismate spoliati essent, obtulit perlibenter. Sacrae aedes catholicae, areae vastae, coemeteria ecclesiarum tunc fideli populo frequentissimae erant. Sacerdotes cautissime, interdum secreto admistrare sacramenta unitis et servitia sacra erant coacti, ne offenderent oculos regiminis, quod non tantum materiales unitorum aedes sacras, sed eorum fidem magis et animas ditioni suae schismaticae et rossicae subdere anhelabat.

Cum vexatio populi Podlachiensis in dies magis magisque cresceret, generalis gubernator Kotzebue seniores unitorum de Podlachia Varsaviam admonitionis causa vocavit, ut eos auctoritate sua ad necessitatem obtemperandi caesaris iussis adhortaretur, ut populus unius imperii a saeculis ruthenus dictus unam

caesaream religionem eiusque fidem profiteretur rossicam. Initio anni iam praedicti (1874) centum sexaginta quinque uniti de Podlachia, selecti a gubernatore Gromeka, Varsaviae in aula regia coram Kotzebue steterunt. Qui provoluti in genua cum gemitu et lachrymis rogabant, uti eos cum liberis misericordiae caesaris commendaret et gratiam atque licentiam exposceret remanendi in sancta catholica religione, utpote qui fidem rossicam profiteri nequirent. Kotzebue, hoc humillimo unitorum actu et precibus parum commotus, asperum ipsis dedit responsum, quaestionem hanc eorum precibus ad caesarem locum non relinquere, cum ipsius caesaris firmissima esset voluntas, cui equidem obsequenti animo et ipsi et omnes de Podlachia obtemperare deberent. Sed cum uniti studiosis suis precibus instarent, Kotzebue tanquam rerum fidei interpres edocebat eos, omnem fidem, cum a Deo veniret, esse veram, itaque et fidem rossicam a vero non abhorrere. Familiaritas huius ssrmonis Kotzebue subdidit unitis impavidum interrogandi animum: »Magnifice Domine! dixerunt, cur Tu igitur in fide Tua perstes, non recipias rossicam, sed Tuam [lutheranam] observes?« »Caesar id ame minime postulat«, respondit Kotzebue graviter. Ad haec uniti, confidentia singulari gubernatoris allecti, hunc in modum cogitata sua elocuti sunt: »M. D.! Si quis temeritate incredibili ausus sit Tibi dicere: Exue hanc, quam gestas, summorum honorum signis oppletam vestem, leviter cede loco Tuo excelso ac patria et in servitium veni alterius, quem ignoras, domini. Quomodo ergo et nos et liberi nostri, qui iureiurando usque ad mortem in fide catholica iuncti sumus Deo nostro, possimus eiurare hanc fidem sanctam ingrati, et ad aliam quam ignoramus et quam timemus, transire?« Kotzebue respondit: »Caesar tantummodo purgationis rituum vestrorum desiderio tenetur, quod clarissime probat benignam eius et augustissimam erga vos gratiam, cum sitis ipsi fideles«. Replicuerunt uniti: »Olim, videlicet a. 1863, insurgentium tessera, quod pro defendenda fide catholica pugnarent, nos incolas non flexit et caesari fideles perstitimus. Ut eorum ossa rebellia agros silvasque oppleverint, ita et nostra hodie ossa quamvis pacifica et caesari fidelia iam sacris circumiacent ecclesiis, hostiliter a militibus caesaris pro sacra fide dispersa[1]). Siedlcensis gubernator

[1]) Post unitorum caedem in Drelów et Pratulin, vid. infra Cap. VI° et V°.

Gromeka haec horribilia iam nobis minitatus est verba: *Ut ossa sancti vestri archiepiscopi Josaphat disieci, ita et vestra disspergam, si fidei caesareae eiusque religionis non receperitis ordinem.* Eramus pacifici et caesari fideles eique perpetuam persolvemus gratiam. Sed corde et lachrymis petimus, ut nobis nostram fidem sanctam catholicam relinquat intactam«. Kotzebue planctis et excussis manibus, animo non parum irato ac percito iam finem huic disceptationi vanae imponens, ad delegationem unitorum edixit haec: »Redite domum et mente consistite quieta. Ego rogabo caesarem, et fortassis permittet vobis catholicam fidem ultro confiteri«. Postero die, cum delegatio unitorum promissis generalis gubernatoris se credulam non praebuisset, statuit non reverti domum et incertum exspectare caesaris responsum, sed certis electis suis negotium dare, ut ad caesarem proficiscerentur cum supplici prece in sacra fide permanendi. Kotzebue, audito proposito unitorum audaci, iussit praefectos politiae omnes delegatos usque ad reditum in domos suas cogere, ne per plateas urbis pervagantes suis contra regimen lamentis acerbum animi dolorem populi quieti excitarent.

Quo tempore res catholica unitorum in Podlachia eam subiit fortunam, ut iam spes melioris eventus et gratiae caesaris conciliandae relicta sit nulla. Sedes apostolica informata de omnibus molestiis, quae in Podlachiae ecclesiis unitorum evenissent, per litteras encyclicas *„Omnem sollicitudinem"* Pii IX, d. decima tertia mai 1874 ad Iosephum Sembratowicz, archiepiscopum Leopoliensem aliosque episcopos ruthenos cum s. Sede Romana communionem habentes, datas, admonet eos, ne exemplar eorum funestum, quae in Chełmensi dioecesi, videlicet in eius regimine, precum forma, ritibus, liturgia sint mutata et eversa, sacerdotibus suis sequi permittant; ne temerario ausu de re liturgica excitent controversias, nec proprio libitu Zamoścensis synodi statuta, ab apostolica Sede a. 1720 d. vigesima sexta maii probata, reformari et immutari pertentent. Sub dolosa enim specie ritus expurgandi eosque in integrum restituendi nihil aliud intenditur, nisi fidei Chełmensium dioecesanorum parari insidias, quos ab Ecclesiae catholicae gremio distrahere et haeresi et schismati devovere perditissimi homines adnituntur. Pius IX papa laudat porro constantiam ac h e r o i s m u m Podlachiensis populi unitorum, quorum delegatos iam prius mense aprili

in publica audientia suscipere et ab iis. martyrum Podlachiensium sanguine purpuratis, iustissima relata de vitae tragoedia et funestis vexationibus exaudire dignatus est. Inter alia haec in epistola sua Romanus pontifex profert: Sed acerbissimas inter, quibus undique premimur, angustias, Nos reficit ac recreat praeclarissimum et plane heroicum fortis et constantis animi spectaculum nuperrime Deo, angelis et hominibus oblatum ab incolis Chełmensis dioeceseos, qui iniqua pseudoadministratoris mandata reiicientes, mala quaeque perpeti atque ipsam vitam in extremum discrimen maluerunt adduci, quam avitae fidei iactu ram facere et catholicos dimittere ritus, quos ipsi a maioribus receperunt et incorruptos atque illibatos se perpetuo servaturos conclamarunt«. Encyclicas has litteras, in linguam polonam versas et in millenis excusas exemplaribus, uniti avidissime quaerebant, summo studio eas perlegentes atque oculis politiae occultantes. Si quae exemplaria fortuito in manus politiae domos perlustrantis inciderint, defectum eorum plura nova exemplaria complebant. Uniti Podlachienses e litteris hisce apostolicis cognoverunt gratissimo animo, fidem suam a Sancto Patre animique ardorem non solum benedici, benedictione vero paterna eam consecrari, sed etiam coram haesitante in fide Galicia ruthena, coram catholico mundo, coram Deo et angelis constantiam suam hostiamque pro fide sanguinis effusi summis extolli laudibus. Unde in unitorum corde consuetus amor erga s. Sedem apostolicam, praecipue autem erga personam S. Patris Pii IX ita accrevit, ut effigiem eius, redimitam floribus, non tantum parietibus domorum suarum affixam, sed et parvulas pontificis imagines in suis precum libellis grato semper observarent animo, ad Deum pro eo orantes. Ex quo invidia politiae adversus unitos magis efferbuit. Pontificis imagines de parietibus domorum politia vi abripiebat, imaginum vero negotiatores, si quas apud illos pontificis effigies invenerit, pluribus afficiebat poenis. Nihilominus effigies Pii IX in omni unitorum familia ab oculis politiae semotae debito ac praecipuo colebantur honore.

In molestiis suis et calamitatibus ad Deum confugiebant uniti. praesidium de caelo quaerentes, pacati animo. maiorem iam vexationis tempestatem in eos de regimine rossico non coorituram confidentes. Miserorum animus non praesagiebat calamitatem novam fidei catholicae ab inimicis sibi machinari,

Trias ista, Kotzebne (Germanus), Gromeka (Russus), Popiel (Ruthenus), plena a caesare potestate instructi, palam gloriabantur, sese Podlachienses unitorum populos, inimicos fidei caesareae, vi, timore, coactu, carceribus, virgis et kozacorum flagris brevi ad illam conversuros.

Ingruente hieme (1874/5) tota Podlachiae provincia ingenti copia pedestri, equitatu plurimisque kozacorum centuriis completa erat. Magistri politiae, quorum numerus in dies est auctus, magno cum animorum motu, affectata gravitate atque agitatione putida inter unitos in novum album eorum nomina, uxorum, natorum, domesticorum referebant. Percensendo cuiusque incolae rem domesticam, facultates, opulentiae statum, perlustrabant et notabant rem frumentariam, pecora, gregem, armenta. Singulares hi perquisitores manifeste eos admonebant, languescentem eorum excitantes memoriam, eos omnia bona possessa summa caesaris obtinere gratia, cum et ipsi essent caesaris absoluto subiecti imperio, cuius supremam voluntatem explere tenerentur. Iam mense decembri 1873 a. regimen rossicum, expulsis unitorum sacerdotibus et ecclesiis schismatico cultui suo addictis, fidem caesaream populo catholico unitorum proposuit suscipiendam: »Qui subditorum caesaris fidem Romano-catholicam deposuerit et religionem caesaris susceperit, amicus erit caesaris eiusque gratiis dignus; qui vero in catholica fide perstiterit et religioni caesareae renuntiaverit suscipiendae, homo inimicus et seditiosus, dignus poena et iustis cruciatibus reputabitur«. Omnis tum populus obortis lachrymis contremuit suo spiritu, sicut Christus ante suam Passionem et Crucem; sed oratione sua et lachrymis recreatus invenit solacium, in amicorum autem suorum fida coniunctione levamen, in Cruce denique Christi virtutem ac fortitudinem, paratus sustinere omnia, quae pro fide sancta perpeti deberet. In Christo Jesu Podlachiae populus totam posuit fiduciam suam.

Ut certaminis huius cursum verum consignemus, haud parva nobis exhibetur difficultas. Non enim eiusmodi res est, quae non magno studio effici possit, cum quaeque unitorum paroecia, civitas, quodque rus, pagus, villa diversam suae propriae vexationis habeat historiam, mirabilem in fidei defensione resistentiam ac singularem in funesta clade et tormentis pa-

tientiam. Quam ob causam rerum gestarum molem breviter exponemus servato ordine paroeciarum per decanatus quinque provinciae Podlachiensis. Itaque adferemus omnia, quae vel ipsi vidimus, vel quae a personis honestissimis et fide dignis audivimus; deinde quae ab iis obtinuimus certissimis mandata litteris aut a nobis sunt consignata iuxta narrata eorum, qui ipsi pro fide tormenta passi erant; nec non denique eorum, qui consulto a nobis idoneo tempore missi erant ad unitorum paroecias, studiose notantes fidelium confessiones fidei impavidas, vulnera, passiones, occisorum nomina atque etiam eorum, qui de carceribus in profundas Rossiae terras sunt relegati. In hoc studio nostro magno nobis fuit auxilio Conradus Greczuk, incola paroeciae Pratulin, homo firmissimae fidei moribusque praestans optimis, ad persuadendum et exquirendum concinnus, qui particeps erat quoque delegationis unitorum ad. s. Sedem apostolicam a. 1874 factae.

CAPUT IV.

Vexatio decanatui Białensi illata.

1. Paroecia Biała.

Biała, sedes districtus eiusdem nominis, civitas et quondam proprietas principum Radziwiłł, catholicissima duobus iuncta ritibus fuit. Praeter vetustam paroeciam Romano-catholicam exornata fuit duabus ecclesiis, quarum una S. Antonii data erat custodiae ordinis S. Francisci de observantia strictiori Reformatorum cum claustri aedibus, altera vero S. Josaphat, archiepiscopi et martyris, monachis ordinis S. Basilii. Schismatica persecutio, ut supra diximus (p. 14), corpus S. Josaphat de suo altari abstulit et in subterraneis ecclesiae, ut pie creditur, deposuit, ecclesiam autem novae a se conditae paroeciae schismaticae tradidit. Eadem sors contigit magnificae ecclesiae S. Antonii, qua militiae schismaticae est destinata cum residentia popae schismatici. Item capella S. Vincentii confessoris una cum xenodochio, expulsis sororibus charitatis, assignata est coetui feminarum schismatis. Cum civitas tota tribus spoliata ecclesiis fletu ac lamentis terram et caelum complevisset, schis-

maticum magisterium vocatis senioribus civitatis una et altera vice acriter instabat, ut fidem susciperent caesaream. Renuentibus incolis unitis, iussu gubernatoris seniores Białae et in Siedlce contrusi in carceres, alii vero incolae decem ab uxoribus, liberis, re domestica seiuncti in regiones Rossiae abditas perpetuo mulctati sunt exsilio ibidemque omnes mortui, fidei catholicae veri confessores.

Ecclesia S. Josaphat, deiectis ex altari ossibus archiepiscopi martyris, depositis omnibus emblematibus, signis, vexillis, imaginibus et ornamentis, quae characterem fidei catholicae prae se ferebant, duodecim porro catholicis crucibus in ecclesiae parietibus, iniunctionis et consecrationis eiusdem signis, ablatis, tum locis consecrationis de muro scabendo erutis, ecclesia haec, posita nova schismatica benedictione, in theatrales et officiales ludos est versa potius, quam in aedem cultui divino et precibus populi dicatam. Schismatis tunc delubrum in vastis suis spatiis voce alta mundo est coacta agere comoediam, destinandam memoriae perenni *de liberrima unitorum catholicorum cum schismate rossico unione conciliatrici atque amicitia.* Tempore huius solemnitatis (exeunte ianuario 1875), cum Białenses ceterique ruris incolae comoediae huic praesentes esse noluissent, sexaginta eorum de civitate seniores et de adiacentibus villis plurimi iniecti sunt in carcerem, addita ipsis etiam pecuniarum poena pro contemptu caesarei festi. Omnes civitatis uniti et accolae districtus Białensis ad solemnitatem hanc coacti sunt, affecti poena decem imperialium argenteorum, in aerario missionis caesareae solvenda. Liturgiam celebravit archiepiscopus Joannikius, caterva triginta poparum, advenarum de Galicia cinctus. Popae, quorum animos mira perfudit voluptas, laetantur, visu oborto cachinnum tollunt, alter alterius percutit latera, iocantur. Videt archiepiscopus insolentiam hanc et scandalum afferentem assistentiam suam, ira incensus serio gestu verbisque eos admonet serveris, ne coram altari et episcopo licentiae suae exemplum in adstantium mores transferant. Sed concitata impatientia etiamque admonitio archiepiscopi in irritum cessere, utpote cum pauci popae sobrii essent. Perturbatio et scandalum vel maximum crevit, dum omnes popae ad communionem Corporis et Sanguinis Christi accedunt. Populus fidelis, qui vi adactus intererat oculatus huius comoe-

diae testis, iureiurando votum concepit, nunquam se templum illud ingressurum.

Finitis sacris et precibus pro caesare totaque eius familia, aptissimi poparum legere coeperunt suos sermones, visos iampridem et correctos a gubernatore aliisque id genus censoribus officialibus. Orator, dum proferebat verba caesaris, magnae Rossiae, fidei rossicae, gubernii, regiminis, laudibus in caelum ferri videbatur et ipse suo capite attingere nubes; dum vero placuerit ipsi eloqui verba: Polonus, dominus, civis, sacerdos, Ecclesia catholica, Roma, Josaphat, tum omne odium, virus acerbitatis suae evomuit. Solemnitas haec clausa est generali osculatione pacis. Ad osculum oris archiepiscopi admissi erant popae de Galicia arcessiti, qui quamquam minacibus verbis perstricti sunt ab archiepiscopo, quod de Podlachia ipsos repelleret, sed iactatae Joannikii minae parum eos attingebant, cum non a iurisdictione eius, sed a generali gubernatore dependerent advenae Galiciani. Ad osculum manus accedebant deinceps officiales rossici. Populus, magno loci intervallo disiunctus, nec verbis magistrorum neque eorum paruit minis, nec etiam vi tractus ad oscula manibus archiepiscopi schismatici danda accessit, ne forte quis censeret officialium, iam ipsum catholicam fidem eiuravisse. Celebritatem in ecclesia S. Josaphat, magnum animi cruciatum s. martyri et populo fideli inferentem, secuta est altera celebritas, in aedibus gymnasii acta. Telegrammatum colluvies missa ad caesarem, ministros, generalem gubernatorem Varsaviensem de triumpho caesareae fidei et liberrima coniunctione unitorum cum Rossia eiusque fide, iuncta epulis, finem posuit huic solemnitati.

2. Paroecia Choroszczynka.

Magister politiae Białensis, senex colonus Dewel a. 1874 convocatis parochianis praesentavit schismaticum popam a se conductum, ut illius obtemperarent monitis. Parochiani responderunt, regimen rossicum discordiam atque inimicitias inter ipsos et schismaticum hunc hominem ponere, cum eum catholici sacerdotis loco ipsis parochum commendaret. Cum vero pertinaciter colonus instaret iactaretque minas, si caesaris voluntati contradicere studuissent, omnes declararunt unanimi

voto: »Si ita esse debeat eaque sit voluntas caesaris, abhinc iam limine nostrae ecclesiae sumus prohibiti; liberos nostros in hac ecclesia non baptisabimus, mortuos ipsi sepeliemus, festa et ieiunia observabimus Ecclesiae latinae«. Quo audito Dewel nonnullos parochianorum, iniectis in manus catenis, misit in carcerem Białensem; gubernator vero Gromeka, post poenam aliquot mensium in carcere solutam, relegavit eos in profundas Rossiae provincias. Paroeciam autem milites pedestres et kozacorum duae centuriae cum equis suis bono ac fructu laboris eiusdem vitam sustentantes obsidebant; Gubaniew capitaneus omnem tum iram, singularem zelum sui apostolatus in parochianos evomuit. Tandem, post duos menses quotidianarum verberationum kozacorum flagris, post continuas vexationes, excogitatas saevitias colonus Dewel eiusque adiutor Gubaniew una cum turba sua militari exierunt de paroecia, in aliam schismatis lucem ferentes.

3. Paroecia Ortel książęcy.

Cum parochiani novos ordines et schismaticas consuetudiues introducendas in sua ecclesia recipere noluissent, notus iampridem nobis Dewel colonus venit in paroeciam Ortel et vocavit ad se *Conradum Kożuchowski*, incolam parochiae eiusdem, quippe qui praestaret aliis ratione et morum integritate esset insignis. Cuius auxilio atque ope statuit Dewel pertinaces unitos ad oboedientiam regimini adducere. Cum tamen prima persuasione sua nihil apud Kożuchowski effecisset, comiter tentare eum coepit, in manus eius pecuniarum fasciculum inserens et promittens ipsi conciliandam gratiam ac tutelam regiminis, et ipsi et natis eius praestandam: »Sed regiminis in te beneficia collata, addidit colonus, tuum omne studium atque industriam abs te postulabunt et exigent«. In vanum Dewel cecinit. Elusus a homine rustico in insaniam vertitur. Renitentem unitum aggreditur furenter, maledictis ac pugnis eum conscindit, sauciat caput, vultum opplet plagis, tandem sanguine et lachrymis profusum, pedibus feritum extrudit foras. Summa tunc excandescens ira in Białam revertitur.

Expletis hebdomadibus quattuor Dewel iterum visitat paroeciam Ortel, sed venit cum exercitu pedestri duabuspue cen-

tenis kozacorum. Item advocat nostrum confessorem, Conradum Kożuchowski et *Feliciam Marciniuk*, magnae fidei et inter suos non mediocris aestimationis feminam. Asperrime tum invehere coepit in eos, quod constituerent in paroecia obstaculum religioni caesareae oppositum; venisse se, ut perrumperet et tolleret hoc impedimentum. Cum vocati se iustos et pacificos declarassent, Dewel ferocitate efferbuit, et denuo manus suas crudeles iniecit in Conradum, tanquam hostem caesaris. Contusis eius dentibus et maxillis, dilacerata facie, evulsis capillis, hominem pro fide vexationis sanguine fluentem, ferreis cinctum vinculis, in carcerem Białensem detrudi iussit. Pari modo Felicia Marciniuk in vincula coniecta est. Incarceratos pro fide visitare non est dedignatus ipse Popiel, rector intrusus dioecesis Chełmensis. Tum primum summis coepit eos extollere laudibus, quod essent fideles et devoti. Deinde docuit, fidem nostram debere esse purissimam, sine ullis additamentis. Admonebat igitur eos, ut reicerent parvas lacinias (i. e. scapularia), quas in pectoribus gestarent suspensas; ut auferrent ridiculas catenas (i. e. coronas et rosaria), quibus se ipsos voluntarie in collis et cervicibus cingerent; ut desisterent a precibus, cantu linguaeque polonae usu, cum linguam rossicam praeclaram et castam haberent precesque purissimas, a catholicismo et polonismo alienas. »Preces dicendae sunt, ait, pro caesare rossico, pro patria rossica ac pro nobis, hominibus rossicis. Est necesse ad meliorem vos recipiatis vivendi modum, ad meliorem fidem et vitam, ad oboedientiam caesaris veniatis, tum a funesto hoc carcere liberi eritis«. At uniti duce Conrado Kożuchowski responderunt magistro suo: »Iam verum est, et ipse tu domine vides, quantas molestias pro sancta fide catholica nostra patiamur. Iam dentes habemus evulsos, maxillas fractas, laceratas facies pugnis et feris magistrorum officialium digitis. In capitibus nostris continuus resonat strepitus, intolerandus in auribus sonitus, effectus tormentorum capitis, capilli evulsi et kozacorum flagris totum dilaceratum corpus. In carceribus diu noctuque ducere sine ulla liberationis spe vitam, difficillinum nobis est. Sola nos gratia Dei indignos sustinet. Scapularia B. V. Mariae, rosaria, sacrae preces, quas fundimus humiles, unico sunt nobis adiutorio. Nihilominus malumus potius in hoc carcere foetido putrescere ac vita dissolvi, sed fidem

nostram catholicam libere fateri pro eaque omnia pati, quam libertate donati fieri Iscariotae, proditores conscientiae ac religionis patrum nostrorum«. Ad haec Popiel ad colonum Dewel conversus dixit: »Si ita omnes uniti cogitant et dicunt, ut hi audaces homines, iam nihil illis miserius fieri potest. Iam spiritus catholicus et polonus animos eorum circumfluxit. Rosaria et scapularia salvent eos«. Postero die plures incarcerati una cum Conrado Kożuchowski in duriorem carcerem Siedlcensem missi sunt.

In paroecia Ortel quaestiones magna cum saevitia in unitos exercebant Aleszko, magister politiae Białensis eiusque adiutor, Gubaniew. Aleszko quemque ad se vocatum et interrogatum, utrum ad rossicam transiret fidem, negativo accepto responso conscindebat obstantem calcibus, humi prosternebat ac plurimis afficiebat ictibus et plagis. Haud aliter agebat Gubaniew, quippe qui oneraret pugnis, laceraret maxillas, tunderet dentes et hominem, suo purpuratum sanguine, eiectum foris kozaci iussu tyranni caedebant flagris. In decem hebdomadum spatio quivis unitus, a quarto decimo anno vitae usque ad ultimam senectutem, vir, adolescens, femina, virgo, omnes par periculum forti subiere animo, fidei sacrae palmam victricem ferentes. Intus, constanti spiritu et anima angelica laeti, extra, debilitato corpore, vulneribus oppleto, horribili facie, evulsis capillis, nigro tumidoque vultu non hominis speciem, sed monstri potius praebebant spectaculum. Plures iacebant extrema infirmitate pressi. Post funestam hanc quaestionem iam magistri caesareae missionis non quaerebant ex unitis, utrum fidem rossicam susciperent nec ne, sed severe instabant, ut popam parochiae a gubernio missum salutarent, exposcentes ab eo, ut ipsis duritiam cordis ignosceret, quam erga caesaream religionem manifestarunt. Verum etiam hac in quaestione populi fidelis repulsam passi a contumacibus poenam pecuniariam exigebant obstante paroeciae extrema miseria.

† *Conradus Kożuchowski*, confessor fidei insignis, quem supra commemoravimus, continuo in carcere detentus, brevi post mortuus est. † *Basilius Głowacki*, alter huius parochiae confessor clarus, ob constantiam fidei praestitam tribus vicibus iussu magistrorum missionis caesareae ultimis suppliciis affectus, kozacorum caesus flagris, vulneribus fractus, brevi et ipse de-

cessit de vita, inimicis et persecutoribus facinora in se admissa remittens.

4. Paroecia Cicibor.

Absonum in capitibus missionis schismaticae in hac paroecia agentis enatum est propositum, offerendi videlicet cuique familiae centum imperialium argenteorum pro baptisato parvulo a popa caesareo. Quod novum rei sacrae mercatum parochiani congregati animadvertentes, liberalitatem suam duplicarunt, offerendo magistris missionis caesareae ducentos imperiales argenteos a singulis parochianis, ut a caesarea religione liberati in fide catholica relinquerentur. Quae audacia parochianorum vexationi funestae initium dedit. Refrenati missionis magistri condemnabant catholicos ad sufferendas varii generis poenas crudeles. Per tres menses a paroecia pedestribus kozacis eorumque equis suppeditanda erant alimenta, nec non superflua etiam vitae commoda sub duris kozacorum flagris. Confessores nostri ad mortem caesi, sacrae suae fidei tenentes palmam, de potestate barbara honestam reportavere victoriam. Ad ultimam miseriam, vulnera, morbos deducta paroecia, missio caesarea maledicens sibi et omnibus exiit, meliorem ut in aliis paroeciis successum quaereret.

5. Paroecia Łukowce.

In hac quoque atque in aliis paroeciis eadem ratio crudeliter agendi initur, namque eadem parochianorum catholica in fide fuit constantia. Tormenta, lachrymae, gemitus et sanguis vexatorum ad fidem illibatam servandam omnium accendebant animos. Memoriae immortali tradenda est inprimis † *Dominica Stasiuk* de pago Worgule. Quae ut prolem suam prae baptismate schismatico salvaret, fuga evadens manus kozacorum, a politia capta, flagellis caesa et pugnis contusa una cum prole sua postero die mortua est. Vir autem eius, † *Petrus Stasiuk*, pro fidei confessione verberatus a kozacis, vulneribus aegrotus, in angustias devastatae rei domesticae adductus, vitae alimenta praecario efflagitabat, et haud multo post in miseria vitam finivit.

Alia huius paroeciae mulier paupercula, † *Agata Szysz*, Dominicae Stasiuk vestigia pressit. Cuius virum cum pro fide

acriter verberatum in carcerem Siedlcensem traxissent caesareae missionis magistri, milites substantiam eius dilapidarunt, neque unicae eius vaccae, nutrici quattuor parvulorum, pepercere. Agata severrime ab eis caesa in morbum incidit mortiferum, et brevi spiritum suum Deo reddidit catholicum. Vir autem, incarceratus pro confessione fidei, post menses aliquot in Rossiam relegatur et quattuor parvuli relicti hominum tutelae traditi.

Tertia pro fide Christi victima huius paroeciae fuit † *Marianna Stefaniuk*, iuvenis femina, iuncta Cracoviae matrimonio catholico. Ducta cum viro suo per vim militum ad popam schismaticum, a quo benediceretur, tam valde ictibus et pugnis est vexata, ut in morbum inciderit letalem ac supremum obierit diem.

6. Paroecia Hrud.

Cum Popiel, infelix ille rector (ut eum appellat Pius papa IX in laudatis supra litteris), in pagum Hrud venisset assistente sibi decano atque exercitu (28. IX. 1867), multitudo fidelium circumstetit ecclesiam suam eiusque fores clausit, claves abscondit et aditum ad ecclesiam ipsis interclusit. Alloquitur populum decanus eique repraesentat magnificum socium suum, episcopum summe venerandum. »Nos habuimus episcopum, respondent parochiani, quem pontifex Romanus ad nos misit. Hunc vero, quem generalis gubernator mittit, non possumus agnoscere, neque nostrum illi tribuere honorem. Hodie iam noster episcopus est S. Pater Pius IX, quem unicum vel episcopum ab eo missum summo prosequimur studio atque honore. Vos autem, domini, advenistis inimici sacrae fidei nostrae et nostri, stipante kozacorum centuria, nos repellere adortos. Num Christus apostolos suos in mundum ad praedicandum Evangelium miserit armatos?« Ad haec Popiel: »Memoriae vestrae bene imprimatis hodiernum honorem mihi a vobis praestitum; mox videbitis limina ecclesiae vestrae non obserata, sed patefacta fore«. Quae cum concitatus dixisset, cum socio suo revertit Białam.

Post eius discessum in parochianos vehementer invecti sunt kozaci, qui una cum pedestribus quattuor per menses gravioribus in dies vexationibus afficiebant fideles. Inculta haec et barbara parasitorum turma, data ipsi licentia a superioribus

schismatici apostolatus, cum equis suis vescebatur acris laboris fructu parochianorum. Praeterea incolae, vel pedites vel insessi equis vel curru vecti, mittebantur quotidie ad stationes designatas sine ulla necessitudine, ullo consilio fineque itineris. Miserrimi fideles pro »contemptu religionis caesareae« per nive obsitas et difficiles vias pergere revertique curabant ad horam sibi praestitutam, vento, frigore, inedia una cum suo armento consumpti. Iuvenes autem et feminae pro »contumacia« in sua fide probanda cogebantur nives, lapides vel lutum de viis et sordes detergere et plana facere itinera. Per totam hebdomadem, ad instar Hebraeorum olim in servitute aegyptiaca, omnibus ursi laboribus, solum die dominica poterant sibi puerisque suis loco panis consueti parvulas coquere placentas et aliqua armento suo suppeditare pabula, iam dudum kozacorum reservata equis. Insuper ad rossicum aerarium, vel potius ad appetentes ieiunasque auri manus magistrorum missionis caesareae, magnam pecuniarum poenam solvere adigebantur de publica in auctorio mercatu venditione domestici usus rerum, pecorum, armenti ac frumenti.

A. 1871 cum parochiani suscipere popam schismaticum repugnassent, duae kozacorum centenae gubernatoris iussu venerunt, per octo hebdomades ad extremam egestatem adducentes incolas, vita sua lauta et animo catholicis inimicissimo. Pro »contemptu« fidei caesareae dux missionis rossicae, quotidie de Biała adventans, disponebat tormenta flagrorum in omnes, qui nollent catholicam eiurare fidem. Itaque caesi sunt a quarto decimo anno ad ultimam senectutem usque viri et mulieres; dum autem effuso tormentis sanguine omnes confessores languidi vulnerati, infirmi iacebant, magistri missionis caesareae kozacis protervis permittebant suas lascivas canere cantilenas. Tres feminae hisce in suppliciis animas suas Deo reddiderunt et aliquot iuvenes pro fide obierunt martyrum sorte, nomina tamen eorum non habemus notata. Incolae post cruciatus varios et carceres relegati sunt in Syberiam, sed adnotantur tantum quinque personae: 1) *Iosaphat Połynka.* 2) *Onuphrius Tomczuk.* 3) *Petrus Tomczuk.* 4) *Michael Tomczuk* et 5) *Gabriel Szucki.* Omnes in exsilio e vita excesserunt.

Denuo a. 1875 fidei caesareae exsecutores, videlicet pedites et kozacorum centuriae duae, in Hrud advenere. Sed cum con-

fessionem fidei catholicae vexationibus et cladibus funestis firmiorem invenissent, post nova tormenta et caedes populi catholici, post rei domesticae ruinam, expletis quattuor hebdomadibus reverterunt Białam, hanc gubernatoribus suis proferentes veritatem, milites caesareos cruciatu suo inermem populum catholicum ad mortem beatam, non autem ad caesaream fidem conversuros.

7. Villa Kłoda.

Quae parva villa paroeciae Horbów testis erat luctuosi ac miserabilis facti, quod ad finem vergente a. 1874 accidit et usque ad hodiernum diem ex fidelium animo memoria eius non excessit. In extrema parte huius villae domicilium suum agrumque habuit incola unitus *Iosephus Koniuszewski*, homo laboriosus, pius, egregia catholicae fidei virtute et morum integritate praestans. Felix cum uxore piissima duos habuit liberos, secreto in Ecclesia catholica baptisatos. Ambo inde pro sua »contumacia« in fide catholica praestita vexati, cum prolibus suis in carcere crebro detenti et kozacorum flagris publice caesi, pecuniariis poenis in re domestica devastati, tandem equo, curru, vacca unica venditis instituto a politia mercatu publico, ad summam inopiam sunt redacti. Fame enecti, post aliquot dies piae quasi recollectionis, nihil ipsis fortassis deliberatius erat, quam vitam propriam suorumque puerorum, velutsi hostiam immolare Deo et in misericors Eius venire iudicium. Quod propositum inflexibili animo exsecuti sunt. Pridie festi B. V. Mariae, medio noctis hiemalis silentio, concepta flamma totam villam colluxit et omnes e somno excitavit, qui ad exstinguendum ignem haud mora festinarent. Horreum Koniuszewski hauriebatur incendio. Sedare flammas impossibile erat studium, eo magis quod ignis periculum deintus sit exorsum. Domus incolae vacua, mensa linteo tecta puro et appositi panes cum reliquo ieiunae substantiae cibo admirationem omnium excitavit magnam. Censebant etenim familiam Koniuszewski iter fecisse ad ecclesiam vicinam, ut crastinae adessent solemnitati. Sed magna oppressit consternatio omnes, cum die altero et sequenti Koniuszewski domum non reverteretur, et e cineribus horrei exstincti rogi erutae sunt duae ossium humanorum compages, tenentes exustorum brachiorum suorum complexu utram-

que prolem combustam. Uterque coniunx Koniuszewski se ipsos una cum prole sua ad rogum ignis voluntarie damnavit: mortem animae, schisma eiusque tormenta, quae iam passi erant, evitantes, consulto horridam atque voluntariam mortem corporis sibi consciverunt.

Ad locum inauditi huius eventus mox venit politia cum iudicibus, medicis, universo apparatu inquisitorio ad videndum hoc factum, humanam fidem excedens eiusque causam investigandam. Causa mortis horribilis omnibus tum patuit, ut audacior quidam inter unitos ingenue declaravit verbis: »Si pro fide sua catholica homines non essent tormentati, non haberemus eiusmodi martyria, quae nunc videmus«. Quod factum fulminis ictu de caelo percussit unitos atque eorum fidem catholicam reddidit firmiorem. Plurimi de longinquis regionibus undique confluebant, ut viderent, quid evenisset; oratione lamentisque suas et combustorum animas misericordiae Dei genuflexi commendabant.

8. Paroecia Łomazy.

Iam a. 1867 cum parochiani uniti in suam ecclesiam ritum schismaticum admittere noluissent, gubernator Gromeka misit de Biała quadringentos pedites et duas kozacorum centenas. Tum multi incarcerati sunt Białae et in Siedlce, alii damnati ad plagas. Inter cruciatus usque ad ducenta vel etiam trecenta flagra kozacorum perpessi, interrogati a magistro militiae, utrum caesari suo oboedientes essent futuri et parati mutationes in ecclesia sua factas debita colere observantia, omnes purpurati sanguine una voce respondebant: »Prius hic occisi in iudicio Omnipotentis Dei stabimus, quam in ecclesia nostra caesareos honorabimus ritus«. Duas per hebdomades iudicia huiusmodi cruenta quotidie exercebantur. Tota civitas Łomazy non aliud nisi generalis nosocomii praebuit spectaculum, in quo omnes utriusque sexus incolae evulsis dentibus, contusis maxillis faciebusque dilacerati kozacorum ictibus, viribus fracti et imbecilles crudelia sunt passi, laeti tamen erant animo, utpote qui pro Christo pati inventi essent digni. Ex quo tempore parochiani ecclesiam suam, contaminatam schismatis ritibus, non frequentabant; preces suas fundebant domi vel saepissime ecclesiam

parochialem catholicam Białae, quattuordecim kilometris (decem passuum millia) ab iis distantem adibant.

Nova expeditio caesareae fidei propagandae eaque crudelior venit a. 1874. Tum omnes a quarto decimo anno iuvenes usque ad octoginta annorum senes vocati sunt, ut religionem caesaream profiterentur nominaque sua in albo fidelium Russorum inscriberent. Concordissime omnes responderunt, etiam tunc pari modo atque a. 1867 paratos se esse omnia potius perpeti, quam sacram eiurare fidem, illum thesaurum vitae, a praedecessoribus suis ardentissime cultum. Tum iussu politiae ducis nomine Aleszko eiusque adiutoris, capitanei Gubaniew, omnes parochiani, fidei caesareae suscipiendae repulsam afferentes, condemnati sunt ad kozacorum flagra, quibus toto dilaniati corpore, morti proximi, capite detecto in frigora expositi, torpentibus frigore nervis, vix suos poterant flectere artus, et expellendo pectore tussim eo magis exasperabant eam. Rursus tota civitas Łomazy confessoribus fidei paratum fuit nosocomium, in quo multi ad necem usque caesi spiritum suum Deo obtulerunt, mortui in tormentis. Opes hominum, pecunia, oves, pecus, armenta, volatile domesticum, frumenta, haec omnia trecentorum kozacorum et sexcentorum peditum simul et magistrorum caesareae missionis fiunt, cum incolae civitatis suffocati fame mortem oppeterent. Caelum vidit inferorum portas repugnare contra fideles Christi in Łomazy. Post decem atroces hebdomades, saeculis simillimas, pedites et kozaci redierunt in sua castra. Octoginta civitatis incolae post tormenta de nosocomio primum in carceres missi Białam, in Siedlce et Brestiam Lithuanam (Brześć Litewski), deinde duobus annis post in profundas Rossiae provincias sunt relegati ibique integerrimi fidei confessores mortui. Ecce nonnullorum, quae inscribere potuimus nomina: 1) *Philippus Sydejko.* 2) *Ioannes Sienkiewicz.* 3) *Iacobus Krywczuk.* 4) *Onuphrius Kartosiewicz.* 5) *Antonius Szatałowicz.* 6) *Petrus Bielecki.* 7) *Leo Zukowski.* 8) *Ioannes Charycki.* 9) *Antonius Marchewicz.* 10) *Alexander Gizewicz.* 11) *Ioannes Terlikiewicz.* 12) *Michaël Szyszewski.* 13) *Ioannes Szyszewski.* 14) *Thomas Raczyński.* 15) *Ioannes Szostakiewicz.* 16) *Ioachim Szostakiewicz.* 17) *Michaël Gizewicz.* 18) *Philippus Terlikiewicz* et 19) *Andreas Szatałowicz.*

Villa Lubeńka, quae ad paroeciam Łomazy pertinet, per decem hebdomades acriter excruciata in fide catholica servanda perstitit integerrima. Perdidit sua armenta, frumentum, opes, pecus in sustentationem militum, caesareae missionis apostolorum. Una pars incolarum in carcerem missa et de carceribus in Syberiam relegata est; altera vero, feminae, iuventus, utique durissima servitute oppressa, nives, quas in campis acris vis frigoris gelu adstrinxerat, manibus in vias et plateam villae deferri et pedibus eas calcando aequari, et iterum conculcatas e plateis et viis in agros transferri iubebantur. Sed neque servitutis pressio tyrannica, neque sanguis innocens kozacorum flagris detractus, neque vulnera, quibus corpore debilitąto confessorem fidei in reliquum tempus laboribus imparem fecerunt, deterruere fideles a proposito ratae confessionis fidei catholicae. Relegati in Rossiam erant plures, sed adnotata hic sunt personarum nomina octo: 1) *Ludovicus Szatałowicz.* 2) *Ioannes Koczyński.* 3) *Iulianus.* 4) *Nicolaus Zalewicz.* 5) *Marcus.* 6) *Elias.* 7) *Victor* et 8) *Antonius Karpowicz.*

Villa Kozły, ad eandem paroeciam pertinens, funesto illo a. 1874 item per hebdomades decem omnem pro fide persecutionem fortissimo animo tulit. Hic eadem atque in Łomazy fidelium verberatio eademque servitutibus variis oppressio, sanguis iuvenum, virginum, adultorum ac senum pro fide catholica kozacorum flagris profusus. Quinque incolae de villa in Rossiam relegati ibi pro fide obiere.

Kopytniki, eiusdem item paroeciae Łomazv villa parvula, missionariis caesarei cultus maxima vi oppressa facilius inclinari posse ad voluntatem regiminis explendam videbatur; quam tamen spem fefellit eventus. Heroicae feminae et virgines, iuvenes et senes flagris kozacorum caesi bis et ter repetita vice in diem, post perrupta tormentą quaesiti sunt, utrum catholica re invisa caesareum cultum fidei suscepturi essent? Sacra audacia incensi exclamarunt: »Deo gratiae et vobis agendae sunt, quod posumus pro fide nostra catholica pati et corporis vexationibus pro offensa Dei eius misericordiae fieri participes«. Tum denuo a kozacis verberabantur; post vero defessi iam et in lassitudinem dati nive a militibus consternebantur atque

iterum novis afficiebantur tormentis. Sed omnis missionis caesareae furor nihil profecit, quamvis opes fidelium, armentum, grex, frumentum, ne multa dicam, omnia exposita essent sustentationi ac licentiae militum. Quinque incolae, quorum nomina desiderantur, post cruciatus et poenam carceris relegati sunt in Rossiam, ubi omnes verae fidei confessores sunt mortui.

9. Paroecia Piszczac.

Haud semel et hanc paroeciam clades funesta affecit. Primum a. 1867 generalis gubernator statuit de ecclesiis unitorum eicere omnia, quae ritus ac precum Ecclesiae catholicae prae se ferebant formam. Cum populus fidelis prece sua, verbis, lachrymis coram gubernatore nihil effecisset, brachiis inermibus sua defendere sacra in animum induxit. Tunc omnes a quarto decimo anno vitae puberes ad senectutem usque viri atque mulieres, fuere saevissime vexati. Kozacorum centuriae duae et pedites centenis obruebant populum flagris. Post carceres et relegationes plurimorum in exsilium, post pecuniarum poenas, vendita publico mercatu re domestica, post sustentationem quadrigentorum militum et ducentorum kozacorum cum equis de bono parochiae hebdomadum trium spatio, missio caesarea re infecta abiit, catholicis et Polonis maledicens. Fideles cruciati dereliquerunt ecclesiam suam inique reformatam, immisso in eam a gubernatore popa schismatico, de Galicia advena; in ecclesiis latinis quaerebant solacium animi in benedictione, precibus, sacramentis.

A. 1874 iterum acerbissima invasit eos missionariorum caesareorum pestis, quaerens eorum nomina de catholico sinu avellere et schismatico inserere albo. »Vos omnes cum Ecclesia catholica non estis uniti«, dicebant ad fideles missionis caesareae duces. »Si nos iam non esse unitos cum Ecclesia catholica dicitis, certissime sumus uniti cum Deo nostro et fide vestra non indigemus«, respondebant uniti. Post verba inania et contumeliae ac flagitii plena ad verbera et flagra, ut moris erat caesarei apostolatus, ventum est. Per menses tres tota poenituit paroecia. Excogitatis variis cruciata poenis, affecta inedia, exquisitis servitutibus, loris kozacorum exsecta et sanguine martyrii affluens, devastata opibus, pane, armento omnique re

domestica, corporis viribus quidem fracta erat, sed angelico in fide sacra perstitit animo et omnia placate et moderate tulit. Dimidium paene paroeciae inclusum est carceribus, plures in in Rossiam missi ibique omnes sunt mortui.

10. Paroecia Kodeń.

Anno 1867 cum missio caesarea renovare et ad pristinam puritatem ritus ecclesiam unitorum revocare eamque suae quasi purissimae iungere conaretur, inoboedientes cives Kodnenses imprimis admonitionibus cogebat, dein parochianos condemnavit ad acerrimas servitutes curandas, quibus fatigatum ac fessum corpus suum vix trahebant fideles. Exhausti viribus, in patientia mira et submissa iniquissimis caesareae missionis iussis, nobile humilitatis praestabant exemplum compatientibus in confessione fidei fratribus suis. Sexcentos pedites et ducentos kozacos cum equis sustentare coacti erant propriis facultatibus opibusque suis exiguis. Per tres menses condemnabantur quotidie ad kozacorum lora, quibus pro sua in fide constantia fuerunt caesi in campis, plateis, penes ecclesiam suam. Viri et mulieres, iuvenes et senes praestiterunt clarissimum exemplum fortitudinis sacrae, cum vulneribus affecti atque exsangues, negando schisma, fidem suam catholicam extollerent confessi.

Ultimo subscriptionum in fidem caesaris tempore, videlicet a. 1874 in civitate Kodeń et in villis adiacentibus idem vexationum ordo per caesaream missionem fideli populo unito affertur atque in aliis Podlachiae paroeciis. Per duodecim hebdomades crudeles sanguinarii suum agebant apostolatum concitato animo, in frigore saepe exutis vestibus, ut flagrorum ictibus commodius ferire possent victimas suas, quae se ipsas morti potius in testimonium Christi fidei libenti offerre animo, quam nomina sua in album confessorum caesaris profanata dare mallent. Expletis hebdomadibus praedictis, ad ruinam fortunarum deductis incolis, sed in fide catholica magis magisque firmatis, expeditio missionaria digressa est inferre aliis paroeciis Podlachiae suum laborem plantandae officialis fidei caesareae. De parochia Kodnensi plures relegati sunt fideles in Rossiae loca abdita, omnes vero in poenam pecuniariam damnati. Quod post plagam missionis supererat ex re domestica vel in

horreis, venditum est in publico mercatu auctivo et pecunia in missionis aerario deposita[1].

Iam similia planeque eadem in aliis paroeciis decanatus Białensis vexationis cruentae, nec non eorum in fide probanda constantiae, in tormentis patientiae exempla afferre supersedeo; satis est consignare heroicas paroecias, quae nomina sua immortalitati dedicarunt, et quidem: Woskrzenice, Goleszew, Hanna, Horbów, Koszoły, Dobratycze, Kostomłoty, Dobryń, Kościniewice, Dokudów, Korczówka, Jabłonie, Kopytów, Kobylany, Kijowiec, Jabłeczna, Ortel królewski, Terespol, Sławatycze et Połoski.

Notandum est, politiam rossicam in Syberia et in aliis locis exsilii unitorum quovis die primo et quinto decimo cuiusque mensis omnes exules unitorum advocasse in cancellariam atque ipsis proposuisse, ut aut fidem susciperent caesaris et in pace cum subsidio regiminis domum suam reverterentur, aut si noluissent fidem eiurare suam, ad mortem exules ac mendicos mansuros. Usque hodie, quod sciamus, nemo eorum est inventus, qui domum suam reverteretur.

CAPUT V.

Persecutio in decanatu Janoviensi facta.

1. Janovia civitas.

A. 1867 cum missio caesarea de ecclesiis unitorum omnia, quae offenderent oculos schismatis, eiiceret, eo tempore de civi-

[1] De civitate Kodeń et praesertim de miraculosa B. V. Mariae imagine in ecclesia ibidem parochiali r. l. disseruit noster auctor clarissimus J. P. in libro polono, Cracoviae typis edito a. 1898, cui inscribitur: *Kodeń Sapiehów. Jego kościoły i starożytny obraz Matki Boskiej Gwadalupeńskiej* (de Guadalupe). Occupata a schismate rossico ecclesia laudata, imago haec veneranda iussu regiminis in ecclesiam conventualem Montis Clari Częstochoviensis ordinis S. Pauli, primi eremitae, mense augusto a. 1875 translata est. Votum piissimum, quod ardenti animo fecerat reverendissimus auctor in fine huiusce operis, ut incolae civitatis Kodeń regionisque summam exspectationem diuturni desiderii sui tandem explerent, B. V. Mariae imago de Guadalupe ut pristinum atque aeternum locum suum in ecclesia Kodeń obtineret, usque ad hodiernum diem nondum expletum est (N. R.).

tate Janovia, quae olim proprietas residentiaque fuit episcoporum Luceoriensium, postea vero, XIX^{no} saeculo sedes dioecesis Podlachiensis seu Ianoviensis Latinorum, a regimine rossico eiecta est sedes dioecesis eiusdem, sublatum in ea iuventutis sacrae seminarium, capitulares et clerus dispersus, episcopus autem Szymański, ut supra diximus (p. 10) abductus Łomżam, ubi moerore et senectutis onere fractus brevi vitam finivit. Interim missio caesarea Ianoviae ecclesiam unitorum SS. Cosmae et Damiani vendidit instituto publico auctivo mercatu, ecclesiam vero cum monasterio PP. Praedicatorum ordinis S. Dominici, expulsis monachis, renovatam ad normam et similitudinem ecclesiae schismaticae tanquam fanum suum obtulit unitis. Tunc omnibus unitis ad solam ecclesiam cathedralem unicus patebat ingressus. Cives quoque Ianovienses uniti pro »contumacia« in fide sua catholica atque contemptu religionis caesareae poenam pecuniariam solvere sunt coacti, raptis et venditis publico mercatu rebus domesticis, armento, frumento; multi autem ad poenam flagellationis loco publico sub kozacorum flagris a curatoribus missionum adacti.

Neque est praetermittendum quoddam singulare crudelitatis rossici exemplum. Ianoviae die vigesima octava octobris solemniter colitur festum SS. Simonis et Iudae Thaddaei apostolorum, patronorum dioecesis Podlachiensis. Ipsa festi die a. 1874 hora quarta ante vesperas, cum in ecclesia cathedrali populus fidelis cantu et precibus misericordiam Christi et SS. patronorum imploraret fidei sacrae tutelam, missionis caesareae curator incarceratos unitos ad ostium ecclesiae produci atque in area cathedrali prostratos kozacorum flagris obiici iussit. Et cum foris acerbissimus et continuatus exoriretur tortorum luctus, intus ecclesiae in lamentis et lachrymis iacebant omnes. Humi coram SS. Sacramento et S. Victoris martyris ossibus prostrati fideles gemebant et lachrymae illis vocem paene intercludebant. At fidelium luctus non continebatur ecclesiae muris, iam civitatem pervadebat totam. Sacerdotes et fideles erant vi tormentorum et luctus suspensis quasi animis, omnes attoniti. Vesperae solemnes apostolis martyribus dicatae cesserunt locum vesperis luctus et moeroris fidelium, quae fere duarum spatio horarum terruerunt eos, et nisi inclinata iam

nocte remiserunt. In divinorum psalmorum David locum substituti sunt doloris, luctus, lamentorum psalmi, quos pro sacra fide tuenda Ianoviensium civium caesarei missionarii extorserunt tormentis. Sic Ianoviae religionis caesareae duces, ad furorem atque vesaniam redacti, passioni et morti apostolorum eorum die solemni et ad limina ecclesiae, quae filios suos pro Christo pati docuit et mori, adaequarunt tormenta unitorum catholicorum, quos e fide apostolica eruere omni opere ac studio enixi sunt. Sed tela contra fideles incassum iactata sunt semper.

Memoriam sibi iustam ac sempiternam peperit † *Antonius Tyszkowski*, civis et civitatis Ianoviensis quondam magister. Pro fide sacra tuenda tormentatus et missus in carcerem Białensem, exacto anno relegatur in carcerem Siedlcensem, dein missus in Brestensem carcerem, tandem tormentis continuis gravique infirmitate confectus et in Rossiam pulsus, in itinere supremum obiit diem, Christo offerens vitam et confessorum crucem suam. Alter † *Stephanus Byczkiewicz*, natus Ianoviae, caesus et incarceratus, similem confessorum fidei vitam Christo obtulit, in exsilio brevi vita defunctus.

Memoratu non indignum esse videtur, Ianoviae splendidam et summopere imperiosam sicuti Białae quasi voluntariae coniunctionis cum fide caesarea unitorum comoediam esse actam, sed sine unitorum praesentia. Laetitia fucata efferebantur missionis duces et popae de Galicia advenae, sumptibus ex aerario publico nostro expensis epulantes.

2. Paroecia Pratulin.

Ineunte a. 1874, catholico parocho reiecto, regimen huius paroeciae a gubernatore popae schismatico de Galicia adducto traditum est. Parochiani, quorum tum animos formido incesserat, mox omni metu deposito ecclesiam suam, signis ac ritibus schismaticis impollutam, vigiliis suis et custodia munierunt, ut schismaticum popam prohiberent aditu. Magister missionis caesareae die vigesima secunda ianuarii venit de Ianovia in Pratulin cum ducentis peditibus, et cum parochianos in frigore

stare et circumvallare ecclesiam conspexisset, cum militibus propius accedens, verbis minacibus perstrinxit omnes, viros et mulieres funditus cruenta caede se deleturum, nisi oboedirent sacro caesaris mandato et ecclesiam suam aperirent aditui popae, quem ipse caesar misit, ut eos ad oboedientiam instrueret. Cum omnes adversarentur ac repugnarent, magister missionis ad colloquium secum vocavit peritos atque prudentes. Tum parochiani: »Nos omnes, senes et iuvenes, periti sumus et prudentes, nam possumus et volumus pro Christo pati atque ecclesiam nostram defendere«. Missionis magister, perspecta parochianorum audacia eorumque fidei ardore, die altera (vigesima tertia ianuarii) advocavit de Brześć et Biała centum kozacos et quadringentos pedites cum duce eorum, colono Stein, Germano et lutheranae fidei homine. Haud perterriti sunt parochiani exercitu eos atque ecclesiam circumvallante, nec pedem moverunt humique prostrati iacuere omnes, cantu sacro precibusque ecclesiam et se ipsos hostiam voluntariam offerentes Deo. Et cum ad primum et alterum militare signum tuba cantum, ut ab ecclesia recedentes de coemeterio exirent, parochiani non paruissent, sed in lachrymis et maxima vocis contentione divinos suos continuarent psalmos precesque, haec vox desperata non percussit inimicum catholicae fidei atque nationis polonae. Stein colonus, ira et superbia incensus, milites suos mortalibus armorum telis populum inermem, pium, orantem ferire iussit. Occisi sunt tum tredecim uniti, vulnerati vero ducenti octoginta.

Tunc occisorum corpora de terra fideles levantes magna ad carnifices voce exclamant: »Date et nobis consimilem geminamque mortem!... Mori pro sancta Ecclesia et fide catholica desiderium est nobis et vita! Vita vobiscum, cruciantibus Ecclesiam Dei, diabolica mors est, non vita!...« Quae caedes forsitan continuaretur, sed miles quidam ex adverso, e sclopeto suo tormentario mittens mortifera in parochianos tela, casu fortuito percussit atque suum occidit commilitonem. Perturbatione inter milites facta, Stein metu perculsus tormentum, maxima cum saevitia in parochianos inceptum, iam non est ausus prosequi. Jussu eius sepimentum ligneum coemeterii ecclesiae securibus militum ruit caesum, et milites cum kozacis in fideles irruentes gladiis, verutis flagrisque exire eos a parietibus ecclesiae

cogunt; invitos, viros ac mulieres funibus convulsos e parietibus ecclesiae in plateas extrahunt ac valvas ecclesiae violenter reserant. Talis erat introductio popae schismatici, Rutheni galiciani, in ecclesiam Pratulinensem.

Rus Pratulin in generale nosocomium est versum. Plures vulnerati laeto animo ad meliorem cum Deo et fratribus suis occisis redierunt vitam. Carceres in Brześć, Biała, Siedlce repleti sunt fideli populo unito. Ad custodiam vero ecclesiae haeresi contaminatae ac securitatem popae praestandam retenti sunt sexcenti milites in salario quotidiano et sustentatione parochianorum. Occisi sunt in defensione ecclesiae suae die vigesima tertia ianuarii a. 1874 sequentes uniti paroeciae Pratulinensis: 1) † *Lucas Bojko* de villa Zaczopki. 2) † *Constantinus Bojko* de eadem Zaczopki. 3) † *Philippus Kiryluk* item de Zaczopki. 4) † *Maximus Hawryluk* de Derło. 5) *Vincentius Leoniuk* de Skrzyczew. 6) † *Daniel Karmaszuk* de Łęgi. 7) † *Bartholomaeus Osypiuk* de Bohukały. 8) † *Anicetus Hryciuk* de Zaczopki. 9) † *Onuphrius Wasyluk* de Zaczopki. 10) † *Ignatius Franczuk* de Derło. 11) † *Ioannes Andrzejuk* de Derło. 12) † *Michaël Wawryszuk* de Olszyn et 13) † *Constantinus Łukaszuk* de Pratulin.

Exeunte a. eodem et initio sequentis (1875) denuo duos per menses, more solito, servili labore, poenis pecuniariis, kozacorum flagris duces missionis caesareae cogebant fideles Pratulinenses adesse schismaticis sacris, sed frustrato eventu. Mori et saevissima pro fide sua pati omnia scierunt uniti Pratulinenses, sed sacram suam abnegare fidem et in caesarea venire castra neque ipse Lucifer infernus, ducibus rossicis iunctus, eos adigere valuit. Mira fidelium patientia interdum permovebat dura etiam kozacorum corda, qui suis loris lentius aliquando premebant confessorum fidei corpora, iam sanguine perfusa. Sed cum atrox fidei caesareae dux conspexisset hanc kozacorum lenitatem, iubebat humi prosterni eos atque ipsis centum aut ducentas immitti flagrorum plagas, ne missionariorum caesareorum oblivioni darent officium. Plurimorum, qui post diuturnos carceres relegati sunt ad internas Rossiae provincias, haec tantummodo nomina nonnulla memoriae traduntur: 1) *Iacobus Nieczyforuk* una cum uxore sua et liberis abductus, rem domesticam reliquit vicinis fratribus. 2) *Georgius Makaruk* de

villa Derło, post septem annos carceris Białae relegatus in abditas partes Rossiae, reliquit tres pueros, iam pridem matre sua orbos. 3) *Eudoxius Maciuk* de eadem Derło, septem annis in carcere expletis, exsilio mulctatus uxorem cum duobus natis reliquit. 4) *Stephanus Maciejuk* de villa Łęgi, item post septem annos carceris reliquit duos liberos et uxorem. 5) *Andreas Tomczuk* de eadem Łęgi, post septem quoque annos in carcere transactos reliquit liberos, uxorem et rem domesticam devastatam. 6) *Iosaphat Łazaruk* de villa Zaczopki, post sex annos carceris relegatus reliquit liberos, uxorem et rem domesticam in ruina. 7) *Emilianus Semeńczuk*, post sex annos carceris mulctatus exsilio reliquit quattuor liberos, uxorem et rem domesticam devastatam. 8) *Polycarpus Pyżuk*, post sex quoque annos carceris in exsilium missus relicta uxore, liberis et devastata re domestica. 9) *Andreas Osypiuk* de villa Zaczopki. 10) *Theophilus Szaniawski*. 11) *Ioannes Miluńczuk* et 12) *Andreas Kaczan*. Qui omnes pro fide catholica tuenda de patria expulsi vitam suam miserrimam in exsilio amiserunt.

3. Paroecia Kornica.

Quae paroecia caesareae missionis terrore et variorum generum poenis, ne contradiceret generali purgationi ecclesiae suae de ritu catholico, liturgia, precibus, quae ecclesiam unitorum strictissimo iunxisset foedere cum latina, oppressa est a. 1867. Quascumque iam in aliis paroeciis recensuimus et protulimus vexationes, poenas pecuniarias, carceres, flagra, devastationes boni incolarum fidelium, haec omnia et Kornica toleravit.

Clades eam gravior invasit, postquam die undevigesima decembris a. 1874 sexcenti pedites una cum ducentis kozacis Kornicam venerunt. Dux missionis caesareae, capitaneus Klimenko, parochianos, purissimam fidem rossicam suscipere detrectantes, iussit omnes iuniores puniri viginti quinque kozacorum loris, seniores vero quinquaginta plagis, viros aeque ac mulieres. Postero die praecepit omnibus, uti detecto capite in vento et frigore de area manibus decerperent nives easque in alium transferrent locum. »Si frigore vitam amiseritis, caesarea crescet fides, nam reliqui, quamvis sint paucissimi, in caesareum venient sinum«, futura praesentiens vaticinabatur Kli-

menko. Aegyptiacae huiusmodi servitutis tempore feminarum et iuvenum capilli gelu adstringebantur capitibus, et sicca molestaque tussis infestabat omnes. Sacri pervigilii noctu idem Klimenko in villa Szpaki, ad paroeciam Kornicensem spectante, mandavit, ut omnes vicani totam per noctem detecto capite vigilarent congregati in prato conglaciato frigore. Ipsa autem die festi Nativitatis Domini ad cancellariam magistratus vici convocavit fideles eisque dixit: »Cum velitis esse catholici et Poloni, hodie et sequentibus diebus in gratiam huius festi accipiatis necesse est centum kozacorum flagra viri, feminae et iuvenes quinquaginta«. Quod tormentum homo truci ingenio continuavit usque ad vigesimum septimum ianuarii.

Crudeliora sunt secuta altero missionis duce, capitaneo Gołowiński, qui locum Klimenko occupavit. Ferae similis is erat non homini, omni diritate atque immanitate teterrimus, quippe qui dilaniaret confessorum corpora usque ad mortem, sed missionarium opus suum haud promovit. Exspiravere tum animam catholicam uniti sequentes, viri et mulieres: 1) † *Ioannes Kimicki.* 2) † *Catharina Piałucka* de villa Szpaki. 3) † *Iosephus Moro* de villa Walim. 4) † *Ioannes Piałucha* de Kornica. 5) † *Antonius Karpiński.* 6) † *David Szysz.* 7) † *Procopius Suszka.* 8) † *Felix Peczyński* et 9) † *Andreas Jaworski.* Sequentes vero incolae exsilio in Syberiam puniti ibique omnes uno excepto mortui: 1) *Ioannes Piotrowski* reliquit familiam et rem domesticam devastatam. 2) *Iosephus Wereszko* quinque liberos matre orbos. 3) *Ioannes Tymicki* quinque liberos et uxorem. 4) *Paulus Szysz* sex liberos et uxorem. 5) *Stephanus Piotrowski* item sex natos cum uxore. 6) *Michaël Warecki.* 7) *Gregorius Piałucha* quattuor liberos. 8) *Carolus Piałucha* tres liberos et uxorem. 9) *Michaël Ioachimiak* tres quoque pueros et uxorem. 10) *Gregorius Horbowski* quattuor orbos matre liberos. 11) *Simeon Iańczuk* quinque orbos liberos. 12) *Leo Puniewski*, qui solus in terram Cracoviensem pervenit exsilium effugiens.

4. Paroecia Mszanna.

Cum mense iunio a. 1871 eiecto parocho fideli a gubernatore collocatus esset in parochia Mszanna popa schismaticus, advena de Galicia, piae feminae parochiales, ad confraternitatem

s. Rosarii pertinentes, obviam ei prodeuntes dixerunt haec: »Parochia nostra catholica est. Tu vero de infelici Galicia advenis schismaticus, a schismatico regimine ad nos missus. Ne intraveris. rogamus, in ecclesiam nostram, ne pollueris eam, alioquin eiicient te de ecclesia et domo parochiali fratres nostri et sorores s. Rosarii«. Abiecta omni cunctatione ducis missionis caesareae iussu, kozaci et politia in coemeterio ecclesiae feminas prostravere audaces et ad mortem usque eas cecidere flagris, occisarum vero corpora ludibrio exponentes perfundebant aqua. Hae sunt feminae ex confraternitate Rosarii sacri tum occisae: 1) † *Rosalia Czajkowska.* 2) † *Elisabeth Czajkowska.* 3) † *Maria Stefaniuk.* 4) † *Oxenia Ryżkowska.* Quibus accedit 5) † *Maria Czajkowa*, item caesa kozacorum loris, aliquot diebus post vulneribus et morbo letali mortua reliquit duos parvulos et maritum *Paulum Czajko*, in carcere tum Siedlcensi detentum, qui pro confessione fidei in Syberiam est relegatus ibique brevi vita defunctus.

Haud multo post anno videlicet 1875, de ea parochia relegati sunt in Rossiam sequentes incolae, qui cruciati omnibus saevitiis pro fide sua servanda, post annos sex carceris Białae primum, deinde in Siedlce, tandem in Brześć, in exsilium missi: 1) *Michaël Stefaniuk* reliquit quattuor pueros, uxorem et devastatam a caesarea missione religiosa rem domesticam. 2) *Mikita Stelmaszczuk* tres natos, uxorem et matrem senilem. 3) *Iosephus Jaszczuk.* 4) *Petrus Dzięgdzik* tres liberos orbos matre. 5) *Nestorius Grochowski* duos pueros et uxorem. 6) *Paulus Czajko*, iam supra memoratus, reliquit duos natos, orbos matre et devastatam rem domesticam. 7) *Antonius Czajko* duos liberos, uxorem et matrem senilem. 8) *Ioannes Ignaciuk.* 9) *Mathaeus Semeniuk* tres natos. 10) *Michaël Kupa* duos liberos orbos matre. 11) *Iosephus Czajko.* 12) *Zacharias Jakubowski.* 13) *Romanus Grochowski* quinque liberos. 14) *Macarius Stefaniuk* item tres natos et 15) *Iosephus Stefaniuk.* Praeterea occisus est in carcere Siedlcensi kozacorum flagris † *Clemens Mironiuk* de villa Dziatkowice aliique incolae de hac parochia, quorum nomina non habemus comperta.

5. Paroecia Prochenki.

Annus 1867, qui erat externae reformationis ecclesiarum unitorum ad normam ritus schismatici, paroeciam hanc simili modo atque alias vicinas poenis pecuniariis, carceribus, devastatione domesticae rei incolarum et sanguinea etiam corporum quaestione affecit gravavitque. Inde ab eo tempore parochiani, quibus sacrarum precum forma catholica nec non linguae polonae usus interdictus est, ad ecclesias latinas confugiebant secreto.

Novum duriusque genus opprimendi unitos tulit a. 1875, quo ad paroeciam hanc die decima quinta februarii venit dux caesareae missionis, notus iam nobis crudelis Klimenko, cum pedestri exercitu quadringentorum militum et equestri totidem kozacorum. Qui omnes parochianos congregatos ad respondendum coëgit, num ecclesiam suam iam purissimam essent frequentaturi, destinatum popam suscepturi, religionis caesareae festa observaturi? Cum tamen longis percunctationibus suis nihil ex parochianis exsculpere potuisset, summa excanduit ira omnesque excruciari kozacorum flagris iussit; utriusque sexus iuvenes a quinto decimo aetatis anno caesi sunt quinquaginta ictibus, centum autem viri et feminae a vigesimo quinto vitae suae anno. Flagellationis hoc tormentum quotidie per totam diem a prima luce ad vesperam usque ad primam diem martii repetitum est. Qui parochianorum aufugit vel vocatus non apparuit, duplicatam patiebatur poenam; infirmi quoque nec non viribus fracti senes in stationem missionis adportandi erant vel curru advehendi, qui inflictis loris in anteriore corporis parte remittebantur domum cum maledicto consueto missionis caesareae ducis, ut fidei catholicae confessor quamprimum periret. Et quamquam ex flagellationum continuato supplicio omnes parochiani ad vulnera, longinquum morbum, debilitatem corporis etiamque ad extremum vitae periculum adducebantur, nemo tamen eorum adiuvante Christo diis alienis thura incendit. Klimenko alium insuper cruciatus fidelium excogitavit modum. Siquidem a prima die mensis martii omnes parochianos congregari iussit in loco, ubi procella densam nivem effuderat. Separatis viris a mulieribus praecepit kozacis, uti omnes parochianos in ordinem lineatum redigerent, tegumenta de capitibus

abiici et contra ventum ac nivem immobiliter stare iuberent a prima luce usque ad extremam diei vesperam quotidie, etiam festis et dominicis diebus. Quod tormentum fidelium ad tres permansit hebdomades.

Pro fidei confessione flagris kozacorum in tormento occisi sunt in hac parochia: 1) † *Ioannes Antoniuk*, prima et altera vice caesus post quingenta flagra spiritum suum Deo reddidit invictum. Paulo post exspirarunt: 2) † *Iosaphat Hryciuk*. 3) † *Paulus Justyciuk*. 4) † *Lewczukowa* femina et 5) † *Paulus Ignasiuk*, iuvenis sedecim annorum, pro contemptu caesareae fidei quadringentis loris acceptis. Haud pauci, post tormenta in carceribus perlata variis in locis detenti, in Syberiam sunt relegati ibique mortui: 1) *Andreas Sawczuk* reliquit quattuor liberos et uxorem. 2) *Michaël Piotruk* tres natos et uxorem. 3) *Philippus Piotruk* duos liberos, uxorem et matrem senilem. 4) *Spiridion Andrzejczuk* tres natos et uxorem. 5) *Iosaphat Maciejuk* quinque liberos et uxorem. 6) *Ioannes Maciejuk*. 7) *Dawid Filipiuk* quattuor natos, uxorem et matrem senilem et 8) *Paulus Grzegorczuk*, item quattuor liberos et uxorem.

6. Paroecia Makarówka.

Eadem in hac parochia ratio idemque modus introducendi in ecclesiam novi ritus fidei caesareae atque in aliis parochiis. Eadem porro persecutio saeviens a. 1874/5, quae parochianos ad egestatem vitae et ad miseriam deduxit, poenas corporis, vulnera, diuturnum morbum atque ipsam nonnullis mortem intulit, sed constantiam fidei et ardorem religionis Christi mirum in modum auxit. Plures parochiani de carceribus in Syberiam sunt relegati, sed nomina eorum habemus incognita.

7. Paroecia Witulin.

In qua paroecia pari modo res gesta est atque in aliis locis. Iam commemorare supersedeo, hic quoque saeviisse immaniter capitaneum Klimenko de Janovia profectum exeunte mense ianuario 1875. Quinque tum viri confessores, cruentas quaestiones passi, vulneribus acceptis et debilitato corpore brevi e vita excesserunt; mortui sunt »pro caesarea fidei invidia«,

cum ipsi suam fidem catholicam confiterentur: 1) † *Ioannes Maciejuk.* 2) † *Aleksander Lewczuk.* 3) † *Demetrius Krzysztofiuk.* 4) † *Paulus Denisiuk* et 5) † *Ignatius Filipiuk.* Quibus adnumerari possunt de villa Osówka eiusdem parochiae: 6) † *Iustinus Dawidiuk*, post plagas pro fide acceptas et corporis cruciatus in carcerem Siedlcensem missus, deinde in Syberiam relegatus, ubi de vita brevi decessit, relictis quinque liberis cum uxore; 7) *Gabriel Szucki*, 8) *Ioachim Chwasiuk* et 9) *Antonius Michaluk*; qui omnes detrusi in carcerem Siedlcensem, »fanaticorum« nomen consecuti in Syberiam missi in exsilio supremum diem obiere.

8. Paroecia Konstantynów et Gnojno.

Octingenti pedites et ducenti kozaci iussu ducis caesareae missionis devastarunt fortunam incolarum, qui per duorum mensium spatium a. 1875 flagella, servitium, vulnera morbosque admirabili tulerunt silentio nunquam abrupta patientia. Imprimis † *Ioanna Czyżyk*, undeviginti annorum puella heroica de villa Horoszki, quae cum sanctitatem fidei catholicae coram duce missionis laudavisset impavida, crudelissime caesa, corpore flagris perstricto vulneribusque oppleto, brevissime vitam pro Christo profudit, venia data inimicis suis. Multi de his paroeciis incolae, post poenas saevissimas mira patientia solutas, in carcerem detrusi, seniores sapientiores homines utique sive »audaces«, ut missio caesarea ipsis hoc excudit nomen, in Syberiam sunt missi: 1) *Iosephus Waszczuk* reliquit liberos et uxorem. 2) *Basilius Litwiniuk*, relegatus una cum tribus natis suis et uxore. 3) *Theodorus Sidoruk* reliquit quinque natos, uxorem et matrem. 4) *Gregorius Laszuk* aliquot liberos, matre orbos. 5) *Iosaphat Szarupka*, in exsilium missus una cum tribus natis suis et uxore. 6) *Antonius Hołub* senex, antea minister ecclesiae. 7) *Gabriel Bartoszuk* et 8 *Antonius Bartoszuk* reliquit tres liberos et uxorem.

9. Paroecia Swory.

Quae paroecia cum esset opulentior aliis, graviori est afflicta poena et tentatione. Iussu generalis gubernatoris Kotzebue quadringenti milites ducesque eorum residentiam in ea suam

posuerunt fixam, non ad singulos menses ut alibi, sed per longum annorum spatium vitam suam, convivia, sustentationes de fortuna et bono eiusdem producentes. Siquidem ab a. 1874 usque ad mortem caesaris Alexandri II (1881) milites cum ducibus suis in hac paroecia quovis anno mutabantur, ne videlicet desidiae in uno loco et socordiae dediti et cervicibus fidelium hostes sacrae eorum fidei impositi deflecterent a disciplinae rossicae cursu et caesarea ratione militari. Centuriones ac militum praefecti pro tempore in amicali cum oppresso populo colloquio percunctabantur ex iis miserum pro religione eorum statum, interrogando, num ipsis poenae pecuniariae ac quotidianus defectus armenti, gregis, pecoris et frumenti, in sustentationem militum quotidianam desumpti, odiosum dolorem inureret? Respondebant parochiani, sese ex iactura fortunae et quotidiano defectu rei domesticae, armenti pecorisque gravi quidem premi dolore, sed patienter hanc ferre ruinam, cum fides sancta doceret huic malo inesse voluntatem Dei, cui mortalis homo quieto animo parere deberet.

Insigniores huius loci confessores fidei sunt: † *Nicephorus Gerelo*, incola de villa Swory, sexaginta annorum senex, flagris kozacorum pro fide vulneratus, in carcere Siedlcensi est mortuus, relinquens tres liberos orbos matre. Relegati autem in exsilium, post quinque annos in carcere Siedlcensi peractos, ibique mortui: 1) *Isidorus Gerelo* reliquit duos natos uxoremque. 2) *Iosaphat Gerelo* quattuor liberos et uxorem et 3) *Gregorius Sączyk* duos liberos uxoremque.

10. Paroecia Krzyczew.

Qua in paroecia a. 1867 eadem saevitia et parochianorum tormenta eademque constantia eorum in fide atque in aliis Podlachiae paroeciis. Missio caesareae per tres hebdomades rem parochianorum domesticam devastavit eosque vulneribus affecit. Tum † *Euphemia Mikołajczuk*, pia femina crudeliter caesa, brevi tempore cruentis vulneribus confecta obdormivit in Domino.

A. 1875 redintegrantur saevitiae tormentaque: viri omnes a vigesimo secundo a. vitae puniebantur pro sua in fide »contumacia« ducentis quinquaginta flagris, mulieres vero centum

quinquaginta ictibus saepius repetitis. Post carceres Białae et in Siedlce: 1) *Theophilus Szaniawski* relegatus in Rossiam profundam reliquit quinque liberos, uxorem remque domesticam devastatam; 2) *Iacobus Nieczyporuk* una cum sua coniuge 3) *Anna*, pia ac religiosissima femina, caesa flagris et post carceres Janoviae, Białae et in Siedlce deportatur in guberniam Woroneż, quo etiam quattuor eorum liberi: Stephanus quattuordecim annorum natu maior, Agrippina, Pelagia et Thecla iussu gubernatoris Siedlcensis, Moskwin, digni Gromeka successoris, sunt missi; res autem eorum devastata cum aedificiis agrisque vendita est publico mercatu auctivo summaque deposita in poenam »contumaciae« in aerario missionis caesareae.

11. Paroeciae Łosice, Łysów, Leśna[1].

Eandem saevitiae ac barbarae quaestionis a caesareae missione exercendae sortem sunt expertae quae nominantur parochiae, sed missionariorum huiusmodi crudelitas mirum in modum adaugebat fidelium unitorum, virorum aeque ac mulierum constantiam.

CAPUT VI.

Persecutio decanatui Radzynensi illata.

1. Parochia Drelów.

A. 1866 sequentibusque tempore introductionis novi ritus in sacramentis, liturgia precibusque parochiani permulta sunt passi, eoque magis custodiebant ecclesiam suam, ne popa a gubernatore missus schismatico ritu contaminaret sanctitatem domus Dei et altaris.

Die decima septima ianuarii a. 1874 antelucano tempore venerunt in Drelów kozaci nunciantes populo, nisi ipse ecclesiam sponte aperuisset, se valvas vi reseraturos et popam adducturos gubernatoris iussu, liturgiam suam ut celebraret. Iam vero mane hora octava fideles circumvallavere ecclesiam suam;

---

[1] Loci huius sacri clarique imagine gratiosa B. V. Mariae historiam enarravit illustrissimus auctor noster Podlachiensis in libro polono, Cracoviae typis a. 1897 edito, cui inscribitur: ***Historya zjawionego i cudownego obrazu Matki Boskiej oraz kościola i probostwa w Leśny na Podlasiu, zabranego na własność prawosławia*** (N. R.).

una hora post advenit exercitus pedester, sexcenti milites et centum kozaci cum missionum duce, districtus praefecto Kotow dicto. Qui alloquens populum ut discedat, ecclesiam aperiri iubet. Contradicentibus fidelibus Kotow ira excandescens omnes viros et feminas iubet convelli funibus ac religatos de coemeterio in plateas extrahi. Laqueos sibi iniici passus est populus, ab ecclesia tamen et de coemeterio non est vi extractus. Tum milites pedestres dato signo primo et altero, explentes iussa Kotow ducis sui, inermem et fidelem populum mortalibus suis armorum telis ferire coeperunt. Cum multi nimirum inter milites invenirentur Poloni et catholici, ea supposita ratione occisae sunt non plures quam tredecim personae, sed vulneratae plus quam ducentae. Mox iussu Kotow totus kozacorum et peditum ruit exercitus, qui viros, mulieres iuvenesque obruit flagris, pugnis, funibus, armis. Sepultis tredecim confessoribus fidei, cum milites solum cum kozacis circumvallarent ecclesiam, introductus est in eam popa schismaticus. In vanum tamen Kotow quaerebat ex parochianis, ut iurarent, se nunquam fore inoboedientes caesari eiusque popam honore debito observaturos. Nomina tum occisorum haec sunt: 1) † *Ioannes Kościuszek.* 2) † *Theodorus Kościuszek.* 3) † *Vincentius Bazyluk.* 4) † *Paulus Kozaka.* 5) † *Theodorus Bocian.* 6) † *Simon Pawluk.* 7) † *Andreas Charytoniuk.* 8) † *Trochimus Charytoniuk.* 9) † *Ioannes Romaniuk.* 10) † *Onuphrius Tomaszuk.* 11) † *Andreas Kupik.* 12) † *Ioannes Kupik* et 13) † *Ioannes Łuciuk.*

Iterum a. sequenti idem Kotow cum sexcentis peditibus et centenis kozacis in paroeciam venit, quos per duorum mensium spatium paroecia sustentabat suo bono domestico. Centum vero parochiani per sex annos detinebantur in carceribus, sexaginta sunt in exsilium missi, sed nomina eorum memoriae non produntur.

5. Duae paroeciae civitatis Międzyrzecz, antiqua et nova.

Praedictus Kotow iam a. 1866 ad has paroecias venit, a quo tum seniores honestique viri, consilio ac ratione praestantes, videlicet 1) *Leo Prokopiuk*, 2) *Basilius Bartoszuk*, 3) *Michaël Prokopiuk*, 4) *Ioannes Kostecki* et 5) *Paulus Hali-*

moniuk aliique numero viginti funibus religati in carcerem Siedlcensem sunt detrusi ob huiusmodi crimen iniquum, quod in ecclesiam suam innovationem liturgicam et purificatum ritum fidei caesareae acceptare noluissent. Quorum † *Paulus Halimoniuk*, exhaustis in carcere viribus, ad extremam redactus miseriam decessit de vita. Utraque parochia poenas pecuniarias solvebat frequenter pro obstinatione fidei suae praestita simulque pro contemptu caesarea religionis. Attenuabatur quidem fidelium fortuna, sed crescebat constantiae ac defendendae fidei studium ardens caelesteque.

Anno ineunte 1874, cum obtruso a gubernatore popae de Galicia conducto parochiani ad ecclesias suas aditum praeclusissent, delegatus missionis caesareae, qui popae tunc erat praesto, gravi in eos excanduit iracundia et praematura periculi terruit denuntiatione, eos sine sacrorum mysteriorum usu sicuti canes perituros, cum hodierna impie repugnata caesaris gratia nullum iam invisis ipsis missurus esset sacerdotem. Haud perterriti parochiani virili animo responderunt se canes fideles omnibus teneri votis; iunctos se esse cum sacra et vetere patrum suorum religione, nec esse inconstantes ac pueris similes, ut in aliam et sibi aversam abirent fidem.

Eodem anno die vigesima octava decembris venit in Międzyrzecz missionis caesareae magister totiens iam supra dictus Kotow, qui, congregatis in locum spatiosum parochianis, dixit ad eos: »Nolo in colloquio vano vobiscum terere tempus. Ecce huius campi partes duae! Haec dextera, illa laeva! In dexteram veniant oves mites, dociles, quae caesaris fidem sacram in silentio suscipere, ecclesiam suam frequentare et a catholica fide suum abducere animum sint parati. Laevam partem illam occupent, qui natura animi sui hircos olent et in conservanda sua fide polona sunt contumaces«. Qualis admiratio atque stupor eum oppresserit tenueritque defixum, cum omnes feminae et viri, senes et iuvenes ab a. quarto decimo suae vitae in partem sinistram venissent, dicentes: »Haec pars in terris sit nostra! In ea volumus hirci esse pertinaces et inflexibiles in nostra religione gravissimasque pro nostra constantia ex iudicio caesaris reddere poenas, quo facto possimus in supremo Dei iudicio partem tenere dexteram ovium eius electarum«. »Docebo vos ego seditionis stimulatores!« voce rauca exclamavit magi-

ster politiae Kotow et odio iraque incensus revertitur in Radzyń. Triduo post sexcenti pedites et ducenti kozaci, obscuriores cantilenas suas cantantes, paroeciam obsidione clauserunt. Tum iussu Kotow parochiani servitute opprimuntur durissima sedecim dierum spatio, flagrorum poenis additis. Infracta patientia populi missionarius caesareae voluntatis, Kotow, mentis non compos videbatur iraque accensus contundebat pugnis catholicos, ut caede tyrannica vulneratos ad caesaris sacra obeunda attraheret. Victimam odii eius furibundi se praebuit imprimis † *Simon Jozafaciuk* de villa Manie incola septuaginta trium annorum, vir sobrius et honorabilis, prudentia, fide omnibus praestans, qui in cancellariam caesareae missionis ducis in Radzyń vocatus est. Kotow, singularem ei caesaris gratiam eiusque familiae auxilia offerens, postulabat pervicaciter, ut vicinorum suorum parochianorum animos impelleret, ne temere supremae caesaris voluntati resisterent et sacra fidei rossicae amplecterentur. Senex Jozafaciuk, vir probus ac simplex, censuit hominem prudentem ac pacificum secum loqui. Simpliciter igitur eum alloquitur his verbis: »Magnifice Domine! Istae manus meae per totam vitam honesto exercebantur labore. Quotidie mane et vespere attolebam eas humili prece ad Deum, in illis gestabam filios et nepotes meos eosque catholicae fidei nostrae veritates sacras docebam. Quomodo ergo exquirere a me potes, Domine, ut has manus commaculem subscriptione mea fidemque suscipiam, quam ignorem nec cognitam velim?« Kotow, qui patiens audire verba senis videbatur, sensim succumbens odio et indignationi furenti de loco desiliit, vehemens accurrit senemque pugnis humi prostravit. Pedibus eum feriit tanquam brutum rabie infestum, vulneribus pectus, caput ac ventrem senis uniti opplendo. Cum corpus senis sparsum sanguine videret, convulsum funibus iubet in carcerem detrudi. Cum vero perspexisset de fenestra sua senem iam viribus fractum et pedum officio carentem militum manibus portari, iussit eum solvi funibus et liberatum remitti domum. Sed equos de curru vulnerati Simonis seiungere praecepit et publico vendere mercatu, quae pecuniaria poena pro caesareae religionis contemptu in aerario missionis deponeretur. Senex sauciatus vix adrepit ad suum iam sine equis currum et humi semivivus iacuit. Inventus est Samaritanus quidam, qui senem

derelictum et sanguine perfusum in suum vehiculum transtulit eiusque domum pervexit. Jozafaciuk non tam senio confectus, quam potius viribus pro confessione suae fidei fractus, post tres dies spiritum suum catholicum Deo reddidit.

Ecce nomina eorum de paroecia Międzyrzecz, qui pro fide catholica tuenda plura passi, incarcerati, tandem post aliquot annos cruciatus in Rossiam sunt relegati ibique in exsilio vita defuncti: 1) *Leo Trochimiuk* reliquit duos liberos, uxorem et matrem senilem. 2) *Gregorius Sidorczuk* uxorem et tres natos. 3) *Andreas Antoniuk* totidem liberos et uxorem. 4) *Elia Pińczuk.* 5) *Alexander Somociuk* tres liberos et uxorem. 6) *Ioannes Olexiuk* quinque natos et uxorem. 7) *Iosaphat Klimiuk* duos natos et uxorem. 8) *Thomas Samociuk* quattuor liberos et uxorem. 9) *Ioannes Pawluczuk* unam prolem et uxorem. 10) *Michaël Rypiński* quatuor natos et uxorem. 11) *Michaël Prokopiuk* totidem liberos et uxorem. 12) *Michael Hryciuk* tres liberos et uxorem. 13) *Ioannes Bartoszuk* quattuor natos et uxorem. 14) *Iosaphat Bartoszuk* septem natos, uxorem, sororem et matrem. 15) *Nicolaus Zaniewicz* tres liberos, uxorem, matrem et sororem. 16) *Simeon Hołowiuk* quattuor natos, uxorem, matrem et sororem. 17) *Ioannes Sidorczuk* sex liberos et uxorem. 18) *Andreas Minczuk* duos natos et uxorem. 19) *Stephanus Kozłowski*, quattuor liberos, uxorem et matrem. 20) *Gregorius Kozłowski* totidem natos et uxorem. 21) *Ioannes Oleszczuk* tres liberos, uxorem et matrem. 22) *Romanus Piotrenko* totidem liberos, uxorem et matrem et 23) *Albertus Korzeniowski* totidem natos et uxorem.

3. Paroecia Gęś.

Quae parochia, ceteris opulentior, gravius ab exercitu quadringentorum peditum cum centena kozacorum per tres menses premebatur a. 1867, quo anno missio caesarea ecclesiam unitorum ad instar fanorum suorum instruere coepit. Tres quoque menses saeviit et altera eaque cruenta parochianorum vexatio exeunte a. 1874 et initio sequentis. Omnes tum sunt caesi incolae cum nefaria et incredibili immanitate, ut »frangi posset maledicta anima polona«. Nomina occisorum et vulneribus mortuorum huius paroeciae non poterant suo tempore colligi et notari. Deprehenduntur tamen octo incolae,

qui primo tributum sanguinis pro fide dederunt, deinde tanquam contumaces in fide sua incarcerati in Siedlce, tandem in exsilium missi sunt: 1) *Basilius Lewczuk.* 2) *Ioannes Misiura.* 3) *Nestorius Lewczuk.* 4) *Ioannes Lewczuk.* 5) *Sthephanus Wertepiuk.* 6) *Ioannes Lewczuk* alter. 7) *Nicolaus Wertepik* et 8) *Antonius Lewczuk.*

4) Paroecia Rudno.

Iam a. 1867 parochiani in defensione suae ecclesiae plura pati coacti, tempore hiemis in silvas confugerunt, ubi frigore membris solutis duae mulieres una cum liberis sunt mortuae. Item a. 1875, post tres tyrannicae vexationis menses, salvantes vitam suam, latitabant in silvis, ne caesarea missio eos attingeret, inde agri eorum generale agebant vervactum, incolae etenim neque solum suum perstrinxerunt aratro, neque ullas sementes fecerunt. Vescebantur fruticum radiculis, plantarum agrestium uvis, fungis, sine panis frustulo. Tum sedecim personae sunt mortuae, ieiunam, agrestem miserrimamque agentes vitam, praesertim fame conficiebantur proles parvulae, quas matres uberum suorum lacte deficiente nutrire non valebant. Sexaginta incolae sunt relegati in Rossiam, sed nomina eorum memoriae non produntur.

Adde hisce novum a missionariis caesareae fidei excogitatum genus vexandi homines saevissima et barbara tortura eorum animalium. Boves, vaccas ovesque in unum locum compulsas kozaci gladiis spiculisque pungebant miserrimum perfodientes armentum, ut fremitus et mugitus eiusdem excitaret suorum dominorum misericordiam, qua ipsi a contumacia catholica et polona desisterent. Sed animalium tormenta in catholicis incolis alios ac sperabant schismatici missionarii provocarunt sensus. Intrepidi ad duces missionis accedunt et audaci liberaque voce dicunt: »Ut armentum nostrum trucidatis, ita et nos occidite! Illud vitam suam in carnificina extrema ponit pro nobis et docet nos admonetque, ut et nos pro Christo moriamur in professione fidei nostrae catholicae«.

5. Paroecia Kolembrod.

Eadem in hac parochia martyrologii ratio inita, eadem a. 1867 ecclesia parochialis defensio contra exercitum caesa-

reum, qui numero octingentorum peditum, centum kozacorum levisque armaturae centum equitum comprehensus, per tres menses bono parochiae sustentabatur. Postea vero a. 1875 ratione audiendi ultimi verbi parochianorum schismaticae missionis iussu poenae et tormenta redintegrantur, quae tamen fructum ab eo desideratum non afferunt. Plures sunt tunc incarcerati Radzynii, Białae, in Siedlce et de carceribus in Rossiam pulsi, quorum septem tantum nomina ad nos pervenere: 1) *Lucae Czech*, 2) *Leonis Bawaj*, 3) *Basilii Ciek*, 4) *Ioannis Us*, 5) *Isidori Sadowski*, 6) *Danielis Oleszczuk* et 7) *Basilii Marczuk*.

6. Paroecia Dołha.

Vexata et poenis pressa iam a. 1867 pro cantu rosariorum et hymnorum in lingua polona processionum sacrarum tempore, sortem duriorem subiit exeunte a. 1874 duce missionum notissimo nobis Kotow, cuius exercitus ducentorum kozacorum et quadringentorum pedestrium istam paroeciam per duos menses funditus devastavit, et incolas pro consueto caesareae fidei contemptu crudeliter cecidit. Et quidem parochiani a decimo sexto anno vitae ad vigesimum cruciabantur centum sexaginta ictibus, feminae et senes plagis ducentis, denique viri trecentis loris lacerati. Primitiae huius persecutionis fuere: † *Basilius Iwańczuk* gladio kozaci dissecto capite trucidatus, nec non † *Semen Iwańczuk*, post tormenta missus in carcerem, ubi iterum pro fide crudeliter caesus miserrimam vitam posuit. Praeterea post tormenta, vulnera, carceres in Rossiam sunt relegati: 1) *Iosaphat Leszczuk* reliquit sex liberos et uxorem. 2) *Thomas Jaszczuk*. 3) *Iacobus Jachimiuk* quattuor natos et uxorem. 4) *Boris Laszko*. 5) *Iacobus Ostapiuk*. 6) *Antoniuk Omelaniuk*. 7) *Ioannes Siwaczuk*. 8) *Marcus Omelaniuk*. 9) *Cyrillus Joachimiuk*. 10) *Iacobus Pawluczuk* reliquit tres liberos, uxorem patremque. 11) *Onuphrius Trąba* quattuor natos orbos matre et 12) *Mikita Siliwoniuk* septem liberos, uxorem, patrem et matrem.

Eadem sors saevissimae quaestionis pro fide Christi tuenda eademque tormenta, carceres, exsilium obvenit reliquis decanatus Radzynensis paroeciis, praecipue: Jabłoń, Szostka, Ruska-Wola, Radcze, Radzyń, Przegaliny, Bezwola, Wohiń et Witoroz.

CAPUT VII.

Persecutio decanatui Sokołoviensi illata.

1. Paroecia Hołubla.

Quae parvula paroecia unam comprehendebat villam numerabatque ducentas animas. Uniti erant permixti cum Latinis, omnesque in unum sociale ac religiosum coaluere corpus, in una fide et charitate Christi fundatum. A. 1867 missionis caesareae dux, colonus Kaliński, ex improviso cum ducentis kozacis irruit in ecclesiam parochianorum et vi apertis valvis de choro dejecit organa eaque in Sokołów asportari iussit; tum gravissima mulcta populo irrogata pro usu rosariorum, scapularium sacrique cantus poloni.

Mense novembri 1872 idem Kaliński colonus cum kozacis Hołublam veniens, omne, quod erat polonum, catholicum caesarisque religioni contrarium, de ecclesia eiici iussit. Tum parochiani congregati penes valvas ecclesiae suae humiliter rogabant colonum, ne res sacras ab iis vel patribus suis Deo oblatas, ne imagines Sanctorum, vexilla, altaria cum ciborio sacro eiicere kozacis permitteret, cum haec omnia non essent res seditiosae, polonae nec caesaris religioni contrariae, sed auctoritate Ecclesiae et usu diuturno sacrificatae. Sed cum kozaci caeco et sacrilego in res sacras involassent impetu, et ipse Kaliński parochianos de ecclesiae valvis expellere et eos baculo caedere coepisset, parochiani, ut sacrilegam kozacorum actionem impedirent, restitere et conclamarunt: »Prius nobis baculis vel ferro eripite vitam, tunc demum cadavera nostra vestris pedibus calcando eiicietis nos de ecclesia nostra sacra catholica«. Quae insolita, atrox atque audax parochianorum vox interiectionis kozacos ita defixit, ut prae stupore obmutuerint nescientes, quid sibi agendum esset. Attamen Kaliński voce hac viva populi catholici non est attonitus, immo vero evaginari gladios iisque pungi et contradicentem voluntati caesaris populum catholicum caedi iussit. »Voluntas caesaris est omnibus ecclesiis et sanctissimis earum rebus sanctior«, furiosus iactabat Kaliński moxque ducenti kozaci cum suo colono irruerunt in populum exiguo numero undeviginti hominum. Inermes vi barbara humi prostrati caesi sunt et vulnerati, omnibus fracti viribus asportati domos per tres menses iacuere infirmi. Praeterea compelleban-

tur de re domestica pecuniae tributa solvere, de pusilla sua substantia kozacorum turbam sustentare et quotidiana ipsis salaria praebere.

A. 1875 denuo Kaliński Hołublam adiit, ut missionarium suum cum fidelibus redintegraret proelium, sed cito reversus in Sokołów reliquit ducentos kozacos in parochianorum nutrimento eorumque acri servitute. Licet paroecia haec omnium esset minima, vexationes tamen passa est haud minimas. Sex hebdomadibus post venit iterum Kaliński et parochianos, extra villam ad parvam Christi affixi capellam collectos, interrogavit, num iam in animo haberent in caesareae fidei sinum venire ac caesaris gratiam mereri? Qui responderunt: »Christus suam fidem in Petro apostolo et successoribus eius firmatam reliquit nobis confitendam, fidem hanc catholicam uunquam deseremus. De hac sancta cruce, ad quam adduxisti nos quamque nunc oculis et animo nostro cernimus, vis sacra cor nostrum desiderio implet, ut pro fide sustineamus omnia, quaecunque velis. Circumcirca nos lignorum struem facias ingentem eamque accendi iubeas. Prius flammis eius cremati erimus non secus ac familia catholica Koniuszewski in villa Kłoda, quam nostram eiurabimus fidem catholicam«. Excogitata tum Kaliński mandavit confessoribus admovere tormenta. Et cum in villa omnes iam infirmi et morti proximi iacerent, dum nullum armentum, pecus nullumque domesticum volatile in villa iam remaneret atque omnes domus devastatae, horrea desolata vel in cineres reducta essent, dum tota haec villa Hołubla solitudini similis pateret desertissima, tunc Kaliński de ea cum suis kozacis exiit, nullum caesareae religioni adferens commodum praeter missionis ignominiam. Post tormenta et vulnera brevi vitam suam pro fide Christo probanda dederunt: 1) † *Apollonia Lis*, saevissime caesa multisque oppleta vulneribus ob denegatum baptisma suae proli a popa schismatico conferendum. 2) † *Ioannes Łopaczuk* senex, item crudeliter caesus totoque corpore vulneratus. 3) † *Theodorus Wojciuk* septuaginta annorum senex, tormenta passus et incarceratus. 4) † *Nicolaus Klioniuk*: post tormenta fessum eius corpus per longum villae spatium trahebatur a kozacis, in lecto suo iacuit morbo oppressus insanabili duos per annos Lazaro similis. 5) † *Ioannes Lis:* post barbaras vexationes vulneribus con-

cisus, iniectus carceri, brevi consumptus est. 6) † *Paulus Wilgórski*, senex septuaginta annorum, crudeliter caesus eodem die exspiravit; ante mortem rogavit adstantes feminas, ut corpus suum ab ipsis sepeliretur sine schismatici popae interventu.

Ceterum omnes viri de villa et paroecia Hołubla in Syberiam pro fide sua probanda relegati sunt: 1) *Paulus Chodowiec* reliquit septem liberos, orbos matre. 2) *Michaël Andrzejuk* duos natos, uxorem patremque nonaginta annorum senem. 3) *Iacobus Jaromiuk* quinque liberos et uxorem. 4) *Stephanus Korabic* duos natos, uxorem et parentes seniles. 5) *Carolus Radczuk* septem liberos et uxorem. 6) *Laurentius Łopaszuk* quinque ex se genitos et uxorem. 7) *Vincentius Chodowiec* duos liberosz uxorem patremque. 8) *Paulus Chodowiec* quinque natos et uxorem. 9) *Ioannes Borsuk* reliquit filiam et duos filios, qui contra legem a gubernatore eodem anno ambo militiae sunt adscripti. 10) *Ioannes Chodowiec* sex liberos, uxorem et patrem senilem viribus fractum. 11) *Matthaeus Chodowiec* duos natos et uxorem. 12) *Iosephus Ogrodniczuk* unum puerum, uxorem matremque senilem. 13) *Andreas Klimiuk* tres liberos et uxorem. 14) *Ioannes Klimiuk* duos natos et uxorem. 15) *Petrus Zabuski* totidem liberos, uxorem et patrem. 16) *Laurentius Wojciuk* tres liberos, uxorem matremque senilem. 17) *Martinus Wojciuk* quinque natos et uxorem. 18) *Thomas Sielich* totidem liberos et uxorem. 19) *Constantinus Sielich.* 20) *Ioannes Trochimiuk* et 21) *Simeon Jaszczuk.* Omnes hi confessores fidei crudeliter sunt caesi et vulneribus concisi; facies eorum, baculis et pugnis contusae, plumbei et nigri erant coloris; capillis evulsis, contusis dentibus et maxillis speciem praebebant horrendam aspectu.

2. Paroecia Czekanów.

Quae parva paroecia eandem fere constantiam et in fide Christi defendenda ardorem ostendit. Siquidem a. 1875 in duobus mensibus apostolatus schismatici, a kozacis suis spoliata opibus, tota est caesa multique fideles post carceres in Rossiam sunt relegati. Nomina tamen eorum desiderantur.

3. Paroecia Czołomyje.

Kaliński, quem supra memoravimus, ardentissimus missionis caesareae dux, censuit sese, si paroeciam kozacis circumsepsis-

set, ita ut nulli de alienis paroeciis eo advenire ac de ea sic vallata nulli exire liceret, caesareae missionis exoptatum ac prosperum eventum consecuturum esse. Excogitata perfecit; sed oblitus est colonus, quod praedecessoribus suis, hac in arte missionaria magis exercentibus, tam amens opus exspectationi ac votis non respondisset. Licet enim idipsum summo studio contenderent in hac paroecia iam a. 1867, tempore videlicet remotionis generalis de ecclesia omnium, quae catholicae religionis gesserat characterem, nec non a. 1872 cum popam a gubernatore missum parochiani ad ecclesiam suam prohibuissent aditu, attamen nullum sibi caesarea missio labore hoc extudit bonum praeter parochiae devastationem. Nec demum a. 1875 Kaliński consuluit missionis suae commodo, quamquam per duarum hebdomadum spatium paroeciam tenuit circumseptam a kozacis, et vexatione crudeli unitos affecit. Mox ipse poenis impositis devastatam sed ad fidem caesaris non conversam paroeciam hanc reliquit. Fidei tum confessor exstitit † *Ignatius Klimczuk*, incola de villa Wyczółki in carcerem in Mordy missus, vulneribus confectus brevi est mortuus. Post tormenta et carceres in Rossiam relegati sunt: 1) *Michaël Kobak*, qui reliquit tres liberos, uxorem, sororem. 2) *Adam Łopaczuk* unam prolem, uxorem matremque. 3) *Michaël Selwic* unam quoque prolem, uxorem matremque.

4. Paroecia Sokołów.

Ducibus missionis, colonis Dewel et Kaliński, alia ratio convertendi ad fidem caesaream incolas huius civitatis a gubernio proposita est, pacifica videlicet instructione, persuasione nec non promissione obtinendarum gratiarum, privilegiorum, quae confessoribus dominantis in imperio religionis paterent. »Qualis religio, tales et apostoli missionarii«, dicebant parochiani Sokołovienses. »Faciatis nobiscum omnia, quaecunque velitis, sed vestrae fidei confessores non erimus«. Hisce intrepido vultu prolatis domum reverterunt, iam amplius ad amplectendam fidem rossicam non tentati. Ecclesia vero eorum, profanata schismaticis rebus et ritu per novum popam, deserta est omnesque in ecclesias latinas venerunt ad quaerenda sacra. Sed pro contumacia sua et confessione fidei catholicae uniti Sokołovienses diu solvere debebant graves pecuniarum poenas, in aerario caesareae missionis depositas.

5. Paroecia Seroczyn et Łazów.

Tempore renovationis ecclesiarum unitorum ad normam schismatici fani (a. 1868), paroecia Seroczyn et Łazów poena pecuniaria et kozacorum flagris est oppressa. Anno vero 1874, mense februario, cum exercitus peditum cum kozacis parochiae huius universa sibi comparasset tecta, omnes parochianorum familiae habitacula sibi quaerere in stabulis, horreis vel cum pecore habitare sunt coactae, nam cum hominibus infidelibus ac lascivis vita communis erat impossibilis. Pro inoboedientia sua iussui caesaris cruciati fuere parochiani variis servitiis et caesi kozacorum flagris; pro contemptu autem caesareae religionis solvenda erat ab iis consueta summa pecuniaria et de substantia eorum lauta kozacis suppeditanda cibaria. Casu fortuito haec fera turba ex gubernatoris mandato abire iussa est et aliis paroeciis maioribus ferre schismatica lumina; qua de re parochia nostra inopinate libera est facta.

6. Paroecia Rogów.

Qua in parvula paroecia eadem deprehenditur norma vexationis fidelium atque in aliis, nec non eadem ratio defendendae fidei sacrae inita contra schismaticos insultus. Passio duarum feminarum huius parochiae digna est memoratu: † *Antoninae Bartoszuk*, quae post expulsionem mariti sui in Syberiam, ob non traditam prolem suam ritu schismatico baptisandam crudeliter caesa, confractis ambabus manibus et digitis, de capite evulsis capillis in summis doloribus post annum de vita decessit, septem liberos relinquens; † *Catharinae Jaromczuk*, quae eandem ob causam aeque saevum passa est tormentum, relictis quinque liberis, orbatis patre, iam pridem in Rossiam relegato.

7. Parochia Grudek.

A. 1867 consuetam subiit vexationem; deinde vero a. 1875, post cruciatus et servitia gravissima, quingentis militibus per septem hebdomadum spatium, a mense februario usque ad Pascha, suppeditabat annonam et ducentos pascebat equos missionis caesareae, quae tandem penuria cibi ipsa vexata exiit. Parochiani ex eo tempore consolationem animarum quaerebant in ecclesiis latinis.

8. Paroecia Grodzisko.

Iam a. 1867 parochiani uniti in defendenda ecclesia sua permulta sunt passi, baculis kozacorum et gladiis lorisque caesi. † *Ioannes Klimczuk*, ense in capite caesus, altera die vulnere est mortuus, relictis duobus ex se genitis, uxore matreque senili. Plerique vulnerati diuturno morbo sunt implicati, alii vero impositis catenis ferreis in carcerem sunt detrusi. Quorum in carcere Sokołoviensi † *Petrus Szymański* de villa Hołoweńki, vulneribus confectus vitam amisit, relinquens duos natos uxorem ruinamque domestici boni. Cum autem parochiani clausissent ecclesiam suam adventui popae a gubernatore missi et claves ecclesiae abscondissent, colonus Dewel venit cum kozacis omnesque parochianos iussit caedi flagris, nec parvulis gravidisque feminis pepercit. Tum duos senes: † *Thomam Romaniuk* septuaginta annorum et † *Ioannem Wasilczuk*, cum loris conscisso corpore et sanguine suo respersi humi iacerent, Dewel contundebat pedibus et voce rauca intensaque clamabat: »Reddite claves ecclesiae et gratiam merebimini meam«. Cruciati responderunt: »Da nobis iterum tantum gratiae, quantum iam accepimus abs te, tunc quieti erimus, neque ullam iam abs te gratiam requiremus... Sed claves sanctae nostrae ecclesiae, dum in corpore spiritus vagatur, in profanationem tibi non reddemus«. Et Wasilczuk addidit: »Parce kozacorum labori eorumque flagris! Manu gladium in nos stringas, en nostras tibi praestamus cervices pro ecclesiae nostrae clavibus. Age! caede!« Ira excandescens Dewel calcabat pedibus unum alterumve defensorem ecclesiae, diris eos prosecutus exsecrationibus: »Maledicti Poloni! maledicti catholici! morte vos omnes afficiam«. Qui confessores brevi vulneribus confecti mortui sunt. Post duos menses vexationis tyrannicae fidelium et devastationis generalis rei domesticae, incolis ad ultimam miseriam deductis, colonus Dewel cum sexcentis militibus suis revertit in civitatem Sokołów.

CAPUT VIII.

Persecutio decanatui Włodaviensi illata.

1. Paroecia Włodawa.

In qua paroecia missionem caesaream agere coepit magister politiae Arandarenko, sed cum nihil profecisset in plan-

tanda fide sua, alter a gubernatore Gromeka Włodawam missus est dux missionis, Tur dictus. Guberniales consiliarii confidebant, si pecuniariae poenae deduxissent parochiam ad extremam miseriam, et ultimum incolarum armentum aut quotidiani usus res domestica vel ultima frumenti grana essent vendita auctivo mercatu publico in Wisznice vel Włodawa, fore, ut ad paupertatem, famem lachrymasque miseriae deducti parochiani non audaces, sed paratiores essent ad sacra caesareae fidei suscipienda. Quae tamen consilia evanuere omnia. Paupertate et miseria oppressa tota quidem paroecia Włodaviensis in lachrymis iacuit, consummabantur ieiunio omnes et luctu contabescebant, sed erigebantur fortitudine et fidei suae constantia, schismatici non sunt facti. Sine ullo itaque a tyrannis sperato successu quadringenti equestres totidemque pedites, de Lublino conducti, iussu ducis missionis saevissimam et barbaram vexationem exsequebantur. Caesi tum sunt iterum atque iterum omnes a quinto decimo anno vitae ad ultimam senectutem usque: audaciores mittebantur in carceres Biała, Radzyń, Siedlce, Brześć et Włodawa. In carcere Włodaviensi conductis pictoribus Tur iussit in parietibus horridos depingi diabolos, quorum terrore et visu minisque diabolicis ubique sparsis incarcerati facilius ad sacra aspirarent caesarea et obliviscerentur catholica. Sed incarcerati amissis in tormentis viribus, vita ieiuna fract, et continuo moerore confecti in certamine pro sacra fide tuenda, visu horrendos in pictura diabolos indifferenter aspiciebanti neque eorum movebantur furiis infernalibus, cum dicerent se libentius versari cum diabolis pictis, quam vivorum esse consortes, quippe qui in terris infernalem missionem exsequerentur, fideles Christi vexantes et diabolorum imagines pingentes.

Victimae cruciatus sunt hi: 1) † *Theodorus Cipułowicz*, incola iuvenis annorum viginti quattuor, tam crudeliter caesus iubente Tur ob ecclesiae claves celatas, ut brevi vitam amiserit, persecutoribus suis remittens debita. 2) † *Philippus Oczkus* caesus, oppletus vulneribus tertia die mortuus est. Uterque confessor mulierum manibus, sepelitur. 3) † *Basilius Oczkus* caesus et vulneratus in carcerem Białae mittitur, ubi brevi diem supremum obiit. Haud defuere et feminae pro confessione suae fidei gravissime caesae, quod prolem suam baptisandam a popa schismatico recusassent, imprimis *Anna Anisiewicz* et *Christina*

Weliszuk. Post tormenta et carceres exsilio in Rossiam sunt relegati: 1) *Laurentius Anisiewicz.* 2) *Mathias Anisiewicz*, filius Laurentii. 3) *Theodorus Pliska* reliquit quattuor liberos et uxorem. 4) *Iacobus Kalicki* duos natos et uxorem. 5) *Paulus Krawczuk* totidem liberos et uxorem. 6) *Laurentius Cipułowicz* quattuor natos et uxorem. 7) *Theodorus Kolenda* et 8) *Silvester Kruciuk.*

2. Paroecia Horodyszcze.

Fideles huius parochiae pro contemptu caesareae religionis continuo pecuniae poenam solvere erant coacti inde ab a. 1867 usque ad a. 1874. Hoc anno, praeter generalem parochianorum flagellationem impositasque iis barbaras servitutes adimplendas, colonus Tur nocturnos etiam labores post diurnam vexationem perficiendos populo Dei mandare solebat, quorum saltem unum alterumve specimen afferre iuvat. Praecepit itaque, ut elato ac rigido loco penes domicilium schismatici popae effoderetur puteus isque roboreis assibus muniretur, et simulac dies illuxerit, aqua clara de hoc puteo in vase popae et ipsi apportaretur. Quod mandatum, lucentibus per totam noctem excitatis ignibus, adimpletum est. Extrema barbaries coloni Tur novum crudeliusque repperit genus vexandi unitos. Residuum in paroecia armentum, pecus una cum ovibus in hortum cogi vastum iussit idque circumveniri a fidelibus. Tres dies noctesque populus una cum animalibus ieiunus persistebat in frigore, nive ventoque in tortura tyrannica, inedia sitique consumptus. Balatus atque immanis animalium mugitus iungebatur lachrymis et lamentis fidelis populi. Tum dux missionis, qui observabat omnia animo inflexibili, quaesivit ex fidelibus catholicis, suumne erexissent iam animum et caesaream fidem suscipere essent parati? Generali et negativo a parochianis responso accepto, post tormenta animalium simul et hominum Tur in flagellationis plagam parochianis coniciendam transiit. Tandem generalium vexationum quattuor mensibus exactis, cum res catholica confessione, patientia, fortitudine et sanguine caelum attigisse videretur, Tur cum milleno suo exercitu rediit, unde venerat, spe plantandae fidei caesareae abiecta.

3. Paroecia Ostrów.

In oppido Ostrów colonus Tur, quem supra memoravimus, mitius ac lenius agendum statuit. Dixit igitur ad parochianos

congregatos: »Tempus iam venit et suprema caesaris nostri accessit voluntas, ut omne, quod esset polonum et catholicum quodque summa negligentia patrum vestrorum in ecclesiam vestram esset introductum et cum vestris permixtum sacris, tempus iam venit, ut haec omnia de ecclesia vestra de precibus, ritu ac processionibus eiiceretis et ad pristinam fidem sacram, quae caesarea est, reverteremini, imprimis vero popam, quem domo velut canem et pestem pepulistis, cum honore debito in domum plebanalem ut reciperetis«. Parochiani responderunt se nos esse stultos ac minime simplices. Eiecisse se domo parochiali non sacerdotem catholicum, sed schismaticum popam ostendebant, nec se pati ac permittere posse, ut ille domum parochialem reduceretur. In ecclesia sua nihil esse aiebant polonum vel intrusum, quod eiiceretur, Polonos quidem se ipsos esse, attamen non Polonos in ecclesia sua nec res polonas, neque quicquam aliud nisi Deum a se coli. Si quid autem in ecclesia sua polonum esset in precibus et cantu, haec secundum ordinationem papae Pii IX non esse eiicienda; peccata solum esse eiicienda de vita sua, novitates vero schismaticas non admittendas.

Quibus auditis Tur, defatigatus sinistro atque ingrato labore caesareo, rediit domum et gubernatorem Gromeka de adverso statu rei caesareae in Ostrów admonuit. Tertia post die mittitur a gubernatore in Ostrów capitaneus Gołowińskij cum sexcentis peditibus et tercentis kozacis, qui in domibus parochianorum sunt collocati, incolae vero ad subministrandam inimicis hospitibus annonam necessariam equosque pascendos obligati. Altera die ferus Gołowińskij ad ordinationem gubernatoris immanem missionis suae tragoediam non in civitate sed in villa Jamy agendam decrevit. Mandato eius obsequentes omnes parochiani steterunt loco edito ad audiendum verbum voluntatis caesareae. Tum tercenti kozaci cum lanceis et quadringenti pedites cum suo militari vexillo expanso, nec non cum magno tympanorum sonitu et cantu classici appropinquaverunt ad populum congregatum. Demonstrativa haec actio militaris in animis fidelium effectum, quem vellet Gołowińskij, expressit nullum, cum omnes parati essent fidem confiteri suam omnesque pro ea vexationes perferre. Mox a Gołowińskij fideles iubentur seiungi: viri in una collocantur parte, in altera feminae

et iuvenes de sedecimo ad vigesimum secundum annum. Feminarum et iuvenum agmen circumclauditur quadringentis peditibus armatis, viros compactos circumdant ducenti kozaci et reliqui centum stant cum elevatis sursum in una manu funibus et loris in altera, sui ducis iussa exsequi parati. Tum Gołowińskij altissima voce ad fideles dicit: »Non quaero ex vobis, an caesaris suscipiatis fidem, sed requiro et firmissime postulo ex suprema caesaris voluntate, ut coram popa, cui gravem iniuriam intuleritis, vos ipsos excusetis et ab illo obsignatam singuli deponatis mihi ipsi schaedulam testimonii, quod et popam et renovationem omnem in vestra ecclesia peractam libenter suscipiatis«. Ad haec parochiani: »Popam de ecclesia et de parochiali domo nostra eiecimus, cum fregisset vota sua Deo dicata, sacrae iuramentum fidelitatis sprevisset papae depositum, ex sacerdote catholico schismaticus factus, qui catholicam fidem despexisset, altaria sacra maculasset haeresi ac nos seditiosos denuntiavisset gubernatori; igitur talem popam non possumus parochum agnoscere nostrum, quem gubernator nobis mittit; nullam quoque renovationem in ecclesia nostra, nullam ritus mutationem aut variationem precum nostrarum desideramus«. »Ecce kozaci!« exclamavit Gołowińskij irae furiis „agitatus«, isti sunt parati ad sanguinem vestrum effundendum«. »Voluntas tua fiat! Si noster sanguis est tibi necessarius, effundas eum, si velis. Sanguis noster, pro fide tuenda effusus, nostra erit ad Deum oratio et pro peccatis nostris salutaris poenitentia«, responderunt fideles uniti. »Atqui vos rossicus populus estis; cur igitur, quod rossicum est, odio prosequimini?« interrogavit Gołowińskij. »Nos populus Romano-catholicus, gens polona sumus«, subiecerunt parochiani. Contentione hac dicendi finita, Gołowińskij rauca voce de animi odio in fideles palam minitatus exclamavit: »Romano-catholici et Poloni excedite in hunc locum apertum!« Quo temporis momento omnes, quotquot erant viri ac mulieres, in designatum locum transierunt Poloni et catholici pro fide sua probanda omnia perpeti parati. Gołowińskij de albo parochianorum ordine evocabat quemque. Milites custodiebant parochianos et ducenti kozaci ad terram prostratos fideles diris suis flagris torquebant. Tyrannus perambulabat, fumum tabaci ore hauriens, hunc vexatorum et gementium locum, et insectando invehebatur in illos, clamitans:

»Si non hodie, crastina die omnes moriemini!« »Da nobis die hodierna mori!« respondebant in tormentis confessores fidei. »Nostram vitam facile franges, at fidem non eripies«!

Inter confessores fidei conspersus sanguine gemebat † *Erasmus Abramik*, incola de villa Jamy, ultra septuaginta annorum senex. Cum liberi eius, nepotes abnepotesque in dolore et maestitia flentes adprecarentur misericordiam tyranni, iste laeto animo allocutus est excruciatum senem dicens: »O senex fatue, miseret me tui, quod tam stultus sis ideoque meritus sis tam abiectam poenam. Tu natura tua catholica et polona audax es, sed video non fore, ut alteram iam huic similem perpetiaris poenam, sed cum nepotum tuorum maledicto vitam miserrimam tibi finiendam esse certe confido«. »Minime me piget meorum«, haesitante voce et lingua compressa Adamik senex respondit. »Non me piget meorum... Deus Omnipotens protector erit eorum... Et illi, scio, pari modo atque ego custodient fidem suam... Equidem sine ista poena brevi moriturus essem... Quodsi mortem mihi acceleres, Deus tibi parcat... Sed fidem meam non franges...« »Maledictum polonum pecus!« voce elata et rauca eructavit Gołowińskij, et semivivum senem in densam nivem proiici iussit.

Caesis viris caesae sunt mulieres, caesi iuvenes omnes a sedecimo anno aetatis suae. Fons lachrymarum et sanguinis confessorum augebat fidem. Gołowińskij misit politiam in Ostrów et in adiacentia rura, nec non etiam ad Iudaeorum domos in Ostrów, ut sub poena pecuniaria praepararent pro infirmis cubicula. Infirmi graviusque vulnerati de loco cruciatus in curribus transmittebantur domos suas. Per quattuor hebdomades Gołowińskij inspiciebat aegrotos medici loco, explorabat ipse infirmorum arteriae pulsum, in capita eorum iubebat applicari nives. Exactis duobus mensibus sexcentos viros misit in carceres, ceteros vero ad severrimas servitutes coëgit. Parochiani insuper per quinque fere menses (a medio decembri 1874 ad finem aprilis 1875) annonam septingentis militibus et tercentis equis pascuam suppeditare sunt coacti. Vulneribus confecti statim obiere: 1) † *Erasmus Adamik* laudatus supra et 2) † *Thecla Lisicka* de villa Tyśmienice, crudelissime caesa et incerarata Białae. De hac paroecia post tormenta, clades carceresque pro fide Christi tuenda sequentes, quorum nomina

habemus notata, in exsilium sunt missi: 1) *Basilius Łyska* magister ruralis, reliquit quinque liberos et uxorem. 2) *Iulianus Łyska* duos natos et uxorem. 3) *Ioannes Łyska* quattuor liberos et uxorem. 4) *Gabriel Łyska* tres natos et uxorem. 5) *Daniel Abramik* senex, frater Erasmi confessoris. 6) *Simeon Abramik*, filius Danielis, reliquit duos liberos et uxorem. 7) *Benedictus Abramik* unam prolem et uxorem. 8) *Gervasius Abramik* unam quoque prolem et uxorem. 9) *Andreas Szkuhat* quattuor natos et uxorem. 10) *Iosephus Szkuhat* tres natos et uxorem. 11) *Philippus Kolus* totidem liberos et uxorem. 12) *Ioannes Abramik* duos natos et uxorem. 13) *Isidorus Abramik* unam prolem et uxorem. 14) *David Szkuhat* duos liberos et uxorem. 15) *Basilius Bluźniuk* unam prolem et uxorem. 16) *Alexander Kowalczuk* uxorem et familiam. 17) *Philippus Abramik* quinque natos et uxorem. 18) *Paulus Bujko* duos liberos et uxorem. 19) *Thomas Kunaszyk* totidem natos et uxorem. 20) *Pantaleon Horaszczuk* tres liberos et uxorem. 21) *Michaël Wolski* totidem natos et uxorem et 22) *Gregorius Łyska* item tres liberos et uxorem.

4. Paroecia Uścimów.

Eadem hic quoque clades populi catholici pro fide Christi tuenda, hoc tantum discrimine intercedente, quod singulae villae, quibus paroecia Uścimów constabat, uti Białka, Maszluki, Drozdówka, Kraśna, fuerint seorsim caesae, infimae et atrocissimae servituti addictae, sanguine suo pro fide Christi conspersae, bono et domestica re sua devastatae. † *Gregorius Kowalczuk* gravibus oppletus vulneribus vitam confessoris brevi finivit. Nomina eorum, qui in Syberiam sunt relegati, desiderantur.

5. Paroecia Rozwadówka.

Missioni caesareae in hac paroecia praeibat crudelis Tur, a quo viri confessores fidei catholicae flagellati sunt quingentis ictibus, feminae vero trecentis loris kozacorum. Sequuntur nomina confessorum, qui post crudelissima pro fide tuenda tormenta brevi vulneribus suis diem supremum obiere: 1) † *Nicephorus Kościuszko.* 2) † *Lucas Elczuk.* 3) † *Simeon Kościuszko.* 4) † *Ioannes Klimiuk* et 5) † *Laurentius Klimiuk.* Quibus

accedunt heroicae feminae: 6) † *Catharina Chilczuk*. 7) † *Antonina Olesiejuk* et 8) † *Praxeda Kowalczuk*.

6. Paroecia Hołowno.

Parochiani inde ab a. 1868 ecclesiam suam, schismatico ritu profanatam, iam non frequentabant. A. 1874 advenit Tur ferus, caesareae missionis dux, cum quingentis militibus. Devastatio paroeciae, caedes, vulnera, poenae pecuniariae, infirmi atque incarcerati erant consueti missionis caesareae fructus. Sacerdos, qui violato fidei catholicae et oboedientiae papae neglecto iuramento ad caesaream transiit fidem iussuque gubernatoris in Hołowno rediit, parochus huius paroeciae, insectatus haud dubio sui impii facinoris furiis, domi parochiae se suspendit et caesareae missioni probram addidit infamiam. Post caedes, vulnera, carceres relegati sunt in Syberiam: 1) *Andreas Naumiuk* reliquit tres liberos et uxorem. 2) *Stephanus Zyruk* totidem natos et uxorem. 3) *Petrus Zyruk* unam prolem et uxorem. 4) *Stephanus Tymoszuk* tres liberos et uxorem. 5) *Onuphrius Greczuk* duos ex se genitos et uxorem. 6) *Tymoszuk*, frater Stephani, totidem liberos, uxorem, matrem nec non duos fratres geminos, quos ambos politiae magister contra leges imperii et regionis nostrae eodem anno militari addixit servituti.

7. Paroecia Opole et Lubień.

Quam eadem pro fide catholica probanda affecit persecutio caesareae missionis, quae tamen nihil profecit aeque atque in aliis.

8. Paroecia Parczów.

Ab a. 1867 usque ad a. 1874 similis in hac paroecia ratio persequendi populi fidelis est inita atque in aliis provinciae Podlachiensis parochiis, cum ageretur de renovatione externae formae in Ecclesia ad normam schismaticam et de cessatione usus sacri rosariorum, precum, processionum. Parochiani kozacorum flagris caesi et funibus convulsi ab ecclesiae suae defendendae parietibus vi abstrahebantur et postea carceribus, poena pecuniaria, tormentis exsilioque mulctati sunt. Ubi autem conspexerunt suam sacram matrem emblematibus schismaticis

apparatam, sua vero catholica cultus religiosi signa despecta et foras deiecta esse, summo cordis dolore excruciati cum in propinquis tum remotioribus ecclesiis latinis animarum consolationem et sacramenta sacra quaerebant.

Anni 1874 hieme venit in Parczów totiens memoratus supra colonus Tur, qui congregatis omnibus parochianis dixit haec: »Omne odium vestrum et religionis caesareae contemptum potentissimus caesar misericordissime vobis ignoscit, conditione hac adimplenda, ut in album confessorum caesareae fidei nomina vestra libenter inferatis. Et, ut rem brevius finiam, videte! Ecce partes duae: haec laeva, illa dextera! Qui vestrum hanc laevam tenuerit, erit amicus caesaris eiusque sacrae fidei confessor! Qui vero in partem venerit dexteram, ostendet se inimicum caesaris atque eius religionis adversarium, dignusque erit poena saevissima et morte«. Audita hac instructione omnes parochiani quasi uno communi passu contenderunt dexteram tenere partem, et una voce responsum dederunt: »In extremo Dei iudicio stabunt iusti in parte dextera. Et nobis hodie haec pars dextera maxime placet et convenit, cum tutissima sit et periculo vacua«. Quibus verbis auditis Tur ira accensus primum poenam pecuniariam inflixit parochianis, magis magisque quotidie augendam. Sed deinde cum exercitus circumsepsisset paroeciam, viri in carceres missi vel ad aegyptiacas servitutes condemnati sunt, multitudo vero parochianorum maximam partem in silvis sibi quaerebat refugia vel in abdita loca pervagabatur secreto, ne in manus caesareae missionis incideret. Exercitus missionis, per tres menses infestus villicus paroeciae, ad ultimam necessitatem deduxit eiusque devastavit opes.

Decesserunt de vita in tormentis necati: 1) † *Nicolaus Kuźmiak* magister ruris, crudelissime caesus et vulneribus oppletus, per liberos suos domum attractus, brevi mortuus est, remittens inimicis suis. 2) † *Franciscus Grabowski* annorum triginta quinque, in tormentis vulneribus confectus, per undecim menses constrictus compedibus, in carcere vita functus est, reliquit duos liberos et uxorem. 3) † *Uxor Francisci Telecki.* 4) † *Uxor Alexandri Michaluk.* In Syberiam autem relegati: 1) *Michaël Czuryło* reliquit quattuor liberos et uxorem. 2) *Piwowarczuk* tres natos et uxorem. 3) *Josephus Michaluk* unam prolem et uxorem. 4) *Petrus Sciuba* duos liberos et uxorem. 5) *Andreas*

Szwaj totidem. 6) *Alexander Michaluk,* vir occisae uxoris, reliquit quattuor natos orbos. 7) *Ioannes Telecki* septem liberos et uxorem. 8) *Franciscus Telecki,* vir occisae uxoris, quinque natos orbos. 9) *Iosephus Danilkiewicz* totidem. 10) *Thomas Matejczuk* tres liberos et uxorem. 11) *Ioannes Matejczuk* unam prolem, uxorem, matrem. 12) *Ioannes Panasiuk* tres liberos, uxorem et parentes. 13) *Onuphrius Talarko* duos natos, uxorem et parentes. 14) *Onuphrius Panasiuk* sex liberos et uxorem. 15) *Petrus Panasiuk* quinque ex se genitos et uxorem. 16) *Gregorius Bzoma* septem natos et uxorem. 17) *Nicolaus Daciuk* totidem liberos et uxorem. 18) *Nicolaus Jaszczuk* quinque natos et uxorem. 19) *Simon Kościańczuk* quattuor liberos et uxorem. 20) *Philippus Chomiuk* unam prolem et uxorem. 21) *Elias Chomiuk* quinque natos et uxorem et 22) *Antonius Talarko* sex liberos et uxorem.

Huiusmodi apostolatus caesareae fidei visitavit paroecias Kodeniec, Uhrusk, Polubicze, Sosnowice, Różanka, Wereszczyn, Wereszczyska Wola, Hola, Hańsk, Horostyty, Wołowska Wola, Dołgoliska, Kolechowice, Łojno, Motwica, Kossyn, Wytyczno et Wisznice. Quarum omnium incolae eadem sustinuerunt tormenta pro confessione suae fidei atque alii fideles incolae totius Podlachiae, eadem inclaruerunt in cruciatibus tolerandis patientia, eosdem passi sunt affectus caesareae missionis, scilicet martyria, carceres, exsilia. Plura de his narrata audivimus, multa sumus admirati, sed nomina confessorum, certationum historiam, litteras, scripta de illis paroeciis obtinuimus nulla, cum fide dignissimus scrutator vexationum et iustissimus cum fratribus suis compatientibus investigator, C o n r a d u s G r e c z u k (iam supra laudatus a nobis p. 31), qui cum sociis suis admissus erat ad audientiam Pii IX papae a. 1874. Włodawae incarceratus brevi mortuus esset in sanctitate vitae morumque integritate.

CAPUT IX.

Necessariae rerum gestarum circumspectiones. Arma silent, sed martyrum et confessorum tormenta crescunt aa. 1874 et 1875. Pueriles pompae coniunctionis consulto fictae.

Tempore persecutionum, quas modo adumbravimus, cunctis tormentatis pro fide unitis nostris eorumque lamentis obsepti

sunt undique ad caesarem aditus. Unde quaestio perdifficilis torquebat tunc eorum ac nostrum animum: utrum caesar compertum haberet barbarum hunc populi pro fide sacra tuenda cruciatum, atque eo iubente exortum esset fatale hoc inhumanitatis in Podlachia portentum; an vero ipsi gubernatores afflictae Poloniae hanc cruciandi populi rationem inirent, suoque mendacio subdolo in caligine ac tenebris tenerent caesarem et ministerium? Haud dubium est, quin intoleranda protervitas in regenda et administranda regione nostra crudelesque insectationes inde ab a. 1864, i. e. a sedatae insurrectionis tempore inceperint. Et quamvis generalis gubernator Varsaviensis ac gubernatores regni in iurisdictione sua dependerent a caesare nihilominus erat iis libera officii agendi voluntas.

Princeps Czerkaski (de quo iam supra diximus p. 7), Ecclesiae catholicae et Poloniae infestissimus, plura in detrimentum Ecclesiae nostrae approbante caesare Alexandro II. transegit; plura quoque huius caesaris inimica Ecclesiae edicta interventu Czerkaski eiusque rationibus agendi expressa sunt. Attamen et ipse, cum clerus unitus restitisset ordinationibus eius atque ad caesarem appellasset, discedere ab officio suo est iussus. Fere centum ecclesias in Podlachia ereptas Latinis vel monasteriis catholicis et transformatas ad schismaticos usus caesar approbavit. Cuius etiam voluntate clerus unitus catholicus de paroeciis eiectus est et dispersus. Caesare approbante popae de Galicia austriaca conducti temere neglegebant fidelitatis iuramentum papae Pio IX et proprio caesari austriaco datum, ut novo caesari iuramento obstricti servitia sua offerrent. Tandem caesaris voluntate instituta est religiosa missio ad schisma plantandum populo fideli unitorum. Sed cum populus iste, orbatus suis sacerdotibus, ecclesiis, altaribus et suis precibus sacris interdictus, missioni caesareae eiusque officialibus militaribus restitisset audax et se catholicum polonumque declarasset, ex ephemeridibus rossicis habuimus cognita, caesarem summum arbitrium huius quaestionis reliquisse »sacrae« synodo Petropolitanae eiusque procuratori synodali, senatori Pobiedonoscew. Exiit igitur synodi hoc in difficili problemate diiudicatio mere sybillica, brevis, quae decuit synodum rossicam: »C o n t u m a c e s a d f i d e m a l i q u a n t u l u m c o g a n t u r e s t n e c e s s e«. Cum autem propositae essent caesari a synodo quae-

stiones de usu vis coactivae in convertendis ad fidem caesaream populis, videlicet: „1° *Utrum vim contumacibus coactivam liceret afferre continuo usque ad optatum exitum missionis?* 2° *An, si contumaces oboedire noluissent, in pace cum sua fide essent relinquendi? Et* 3° *Quibus modis cogendi essent contumaces ad fidem caesaream?*" — ingens in rationibus ac consiliis cogendi fideles catholicos ad schisma exortum est chaos.

Itaque dux missionis in *Pratulin* colonus Stein, vir haereticus et natione Germanus (ut diximus supra 49); cum populum catholicum, viros, feminas, senes cum liberis circumvallare ecclesiam parochianam vidisset, populum inermem, coronulis, rosariis precibusque ornatum, iubet a parietibus ecclesiae disiungi et domum redire; cum populus iussis non paruisset ultroque sacros hymnos suos cantasset, Stein iubet militem sonare classicum, sed populus orans et cantans voce alta vicissim precatur; tandem colonus tormentorum plumbo militibus in aciem redactis ferire populum mandat, et populus fidelis occisos fratres suos de terra attollit, denudat pectora sua sibique mortem similem obsecrat. Pari modo actum est in paroecia *Drelów*. Utraque paroecia, Pratulin et Drelów, in defensione suae ecclesiae et sacrae fidei dedit hostiam, viginti sex personas, vulneratos autem circa sexcentos fideles. Cum ita intellexisset instructionem suam cogendi fideles catholicos ad oboedientiam caesareae missioni unus alterve missionum dux, colonus Stein et Kotow magister districtus in Radzyń, cumque de his crudelissimis excessibus certior factus esset Kotzebue, generalis gubernator Varsaviensis, non potuit celare facta eaque nota fecit regimini caesaris, variis suis commentariis exornata; in quibus certe causa descendendi ad arma contra catholicos, utpote partem coactivam, allata esset. Tum demum caesar in coactivis missionibus suis religiosis arma deponenda cruenta et vaginis reddendos gladios decrevit.

Sed fortassis crudelis ille et infestissimus catholicae fidei ac Poloniae hostis non ignoravit, suos missionarios alios modos cogendi catholicos ad schisma in suo animi armentario inventuros esse, eosque efficaciores quam haec tam late in mundo decantata a Polonis barbaries rossica atque occisio fidelis populi armorum plumbo. Re vera excogitati sunt a ducibus missionis schismaticae in fidelem populum cruciatus, infernali sua

varietate atque immanitate barbara distincti, de quorum usu iam supra diximus, quique atrociores erant ipsa morte de plumbo militaris tormenti in fideles misso, morte repentina et a fidelibus vehementer expetita. Verumtamen coactiva haec fidelium vexatio et tormentorum barbaries non minuit, immo vero caelestem fidei ardorem et mortis desiderium pro Christo in confessoribus Podlachiae auxit mirumque in modum cumulavit. Siquidem caesarea missio saeviit in paroeciis, quoadusque sufficeret pecunia pro poena paroeciae ob contemptum fidei caesareae in aerario missionis solvenda, quamdiu incolalarum horrea abundarent frumento, armenta ac pecora missioni caesareae eiusque militibus escam darent copiosam, quamdiu utensilia domestica incolarum inveniri et in mercatu publico auctivo possent vendi ac verti in salarium militis missionis diurnum. Sed cum in paroeciis fideles iuniores et senes in tormentis infirmi vel morti proximi iacerent, cum iam nullum armentum, pecus nullumque domesticum volatile remansisset ad victum, domus deinde omnes essent devastatae, desolata aut in cineres redacta horrea, cum denique tota paroecia solitudini par facta esset desertissima, tum duces missionis cum pedestribus et kozacis de paroecia exibant, gubernatori suo nullum praeter generalem ignominiam suae missionis referentes exitum.

Quo tempore populi fideles caesareae missionis labem eiusque tormenta ac vulnera sua pro fide sacra tuenda patientissime perferebant, quo alii inedia et quaestionibus saevissimis viribus fracti in carceribus tumescebant, alii vero pro sacra fidei confessione confecti vulneribus exhalarunt animas, generalis gubernator Kotzebue, ut supra innuimus, infernali excitatus odio adversus ministros Ecclesiae catholicae exarsit vindictae cupidine. Iussit videlicet clerum catholicum die dominica proxime sequenti vel festa in ecclesiis congregato populo officialia et missa sibi legere scripta, quorum sententia erat: *unitos Podlachiae, in genua magni caesaris sui pedibus admotos, accessum suum ad rossicum schisma humillime expetere; et caesarem, licet mutationi fidei eorum esset perinvitus, tandem molestas unitorum accipere censuisse preces eorumque admissioni gregi suo assentiri!* Falsa itaque et crudelia nuntianda erant populo fideli a clero catholico ex sacro suggestu in ecclesia. Cleri catholici

conditio illa rerum tempestate magnopere erat afflicta: qui enim recusarunt iussa gubernatoris exsequi, vel qui consulto interponebant moram expectando sui episcopi ordinationem, multis acribus puniebantur mulctis. Fidelem unitorum populum non latuit, vi tyrannica depressum et infelicem clerum latinum officiosa mendacia rossica sibi promulgare. Clerus quoque catholicus clarissime legebat in animo frequentissimi et piissimi fidelium coetus, quid ipse censeret de improbi regiminis rossici tam impudenti mendacio, usque ad sanctas aedes catholicas penetrante. Qua crassa falsitate sua Kotzebue unitorum in confessione fidei audaciam frangere ac contundere studuit, sed nullo effectu; namque fideles uniti eo magis fidei catholicae velutsi salutari clipeo suo adhaeserunt, omnia pati ac mori pro ea parati. Quamvis omnis ratio convertendi populi ad schisma, per caesaream missionem hucusque adaptata, optatum exitum non attigerit, synodus Petropolitana, ut ulteriori et vano certamini cum populo imponeret finem, iussit missionem caesaream deponere sibi album fidelium de quadringentis paroeciis in Podlachia et terra Chełmensi, officialiter fundatis et sufficienti poparum numero instructis.

Mense ianuario a. 1875 caesarea missio in Podlachia subdolum periculum fecit, omnes parochianos iam quidem non adigere ad amplectendam fidem caesaream, verumtamen sub poenis saevissimis pellere omnes, ut officiali popae se excusarent et singuli ab eo in schaedula adferrent signum, quod popa offensionem, quam ipsi intulissent, parceret benignus. Tum fideles, in confessione et defensione suae fidei sacrae non parum excitati atque attoniti tormentis, cognoverunt facile in hoc frivolo missionis caesareae praecepto et sacrae fidei suae et sibi ipsis etiam novas easque subdolas tendi insidias. Itaque singulare hoc iussum missionis unanimiter adimplere recusarunt, propterea quod popam nec videre desiderabant, nec gratia eius et instructione indigebant, quippe qui, cum alienae esset fidei, non posset eorum esse pater. Quo quidem responso generali et in quavis paroecia a catholicis confessoribus accepto, missio caesarea nova exarsit ira eoque magis excanduit, quod tam externum et pro forma minimumque eius iudicio praeceptum parochiani exsequi recusassent. Per duos itaque menses, ianuarium et februarium a. 1875, qui apud nos sunt frigidis-

simi. fideles uniti, quamvis iterum atque iterum vexationibus saevissimis et servitute premerentur, nihilominus popae in clientelam se conferre atque ab illo absolutorium quasi suae culpae signum obtinere noluerunt. Tum demum generalis gubernator Kotzebue senatui Petropolitano cesareae missionis in Podlachia infortunium eiusmodi laboris coactus est aperire, tum et caesar admonitus de omnibus suae missionis incommodis, difficillimum hoc problema resolutioni ministrorum et senatus sui commisit disceptandum.

Ministri et senatus una voce et mente consenserunt in rationibus Mariae, Alexandri caesaris uxoris, fanaticae feminae, quae ipsa religionis caesareae in Podlachia ad unitum populum excogitavit missionem. Rationes hae secundum publica diurna scripta erant sequentes: »Ab activa et ulteriori missione religionis caesareae in Podlachia recedere est necesse, sistat illa in suo mortuo puncto, tempus temperat omnia semper. In Podlachia et provincia Chełmensi nulli iam sunt sacerdotes uniti catholici, neque eorum in Chełm catholicum regimen. Nostra fana de catholico transformata cultu exstant fere quadringenta, totidem sunt popae nostri ritus. In Chełm est solummodo nostrum regimen, religio, consistorium. In fanis nostris servitia divina nostri ritus peraguntur. Quid ergo nobis magis est necessarium? Populus Podlachiensis relinquatur in pace et in sua duritia; ingerentia tantum cleri poloni, jesuitarum de Galicia civiumque polonorum debet officiose comprimi. Non igitur caede et populi vexatione cruenta, ut pervulgata iam et scripta legimus, sed carceribus tantummodo et pecuniaria poena vexandi sunt incolae pro evidenti eorum contemptu religionis nostrae. Post decem annos adiuvantibus legibus, quibus vincula libertati catholici cleri coniiciuntur, si non hodierni uniti, certe tamen eorum liberi et nepotes sine dubio inclinabunt se ad nostra sacra facienda, quod iam eventum est in Wolhinia (Wołyń), Alba Russia (Białoruś), in Lituania (Litwa) et in Samogitia (Żmudź) post missionis religiosae studia nostra a. 1838 adimpleta« [1]. Quae rationes et consilia rata communiter a ministris et senatu sunt accepta.

Caesar Alexander II in Podlachia et terra Chełmensi

[1] Notata sunt haec ex ephemeridibus rossicis *Golos*, *Nowoje Wremia*. *Chołmskija Wiedomosti*.

quattuor instituit solemnitates magno cum apparatu et ostentatione magnifica adimplendas, quibus titulus: »Voluntaria unitorum catholicorum cum caesareae religione coniunctio«. In expensa solemnitatum necessaria ex aerario polono caesaris mandato ducenta quinquaginta millia imperialium argenteorum sunt soluta. Secundum mentem caesaris ac synodi solemnitates huiusmodi debebant blandam prae se ferre speciem cunarum schismatis in Podlachia baptismi, eademque ratione posthumum funebre epulum mortuae iam unionis catholicae cum unitis in Podlachia. Ut iusta dicamus, inimicissima et delira erat haec manifestatio generalis gubernatoris Kotzebue omniumque magistrorum atque ducum caesareae missionis, quae ictu suo morali feriret cor Ecclesiae catholicae, cleri, catholici populi poloni. De his pompis puerilibus pauca iam supra diximus (p. 32-33), neque quicquam est, cur diutius his immoremur.

Ultima igitur hora sanguinolentae in Podlachia fidelis populi catholici vexationis defluxit, quae Christo Domino obtulit fere centum purpuratos suo sanguine sacrae Eius fidei testes et circiter duo millia post tormenta et diuturnos carceres in Syberiam vel in loca abdita Rossiae exules. Nihilominus vexatio unitorum pro fide sacra tuenda non cessit, tantummodo characterem suum cruentum mutavit. Milites et kozaci, ducum caesareae missionis explentes cruenta iussa, in castra redierunt; servitutes barbarae et tormenta in memoria solum fidelium remansere fixa. Sed carceres, exsilia, pecuniariae poenae pro contemptu religionis caesareae non cessavere, immo mulctae sunt auctae.

CAPUT X.

Status confessorum fidei ulterior. Missionarii schismatici duces cum suo caesare, Alexandro II, misere pereunt. Caesar Alexander III unitorum vexator. Albedyński, generalis gubernator Varsaviensis, eius exsequitur iussa. Servitia sacra unitis a clero latino exhibita. Religionis catholicae doctrina in scholis publicis et rusticis proscripta.

Status huiusmodi vexationis pacificae erat verum martyrium fidelium, quod continuo per annos fere quinquaginta succum vitae et unitorum laboris segetem exsugeret. Quod quidem martyrium sollicitabat mentes, commovebat animos, heroica

eorum corda inquietabat, nec non in animis eorum cumulabat imagines futuri temporis tristissimas, ita ut saepe unitus totus in metu esset, sed praecipue, ne Deum offenderet, cui hostiam vitae ac sanguinis sui pro fide probanda iam sacrificasset. Et post has cogitationes, tentamina imaginesque rursus ad quotidianum laborem, precem suamque heroicam patientiam cordis redibat.

Carceres et cellae sine vitali aëre attenuabant vires, sed fidelis unitus quamvis prae inedia vix spiritum traheret, ab impuro aëre carceris tumesceret corpore, a morte tamen spiritus Dei gratia defensus cum sociis suis horarias preces de B. V. Maria cantabat vel cum iis globulos sacratissimi Rosarii numerando precabatur. Liberatus carcere confessor fidei pedum officio carebat, exsanguis erat et debilis, homini veterano similis. Adiutorio liberorum domum suam redibat, post aliquot dies aëre libero redintegratus ciboque salubri parum recreatus primum iter contendebat in ecclesiam, ut humillimas Christo referret gratias pro vita ac liberatione, et ut pleno corde suo erogaret vitam viresque, ut laborare posset ad vitam familiae suae conservandam, et iterum atque iterum parare facultates ad futuram imminentem poenam, pro contemptu caesareae fidei solvendam. Quae tamen a nobis dicta ad disciplinam carcerum spectant leviorem, quae in usum venit exactis caerimoniis sic dictae officiosae liberae consociationis unitorum cum Russis eorumque fide caesarea (a. 1875). Priores enim carceres unitorum atrociores fuerunt, servitutibus barbaris tormentisque iuncti. Siquidem incarcerati immissis catenis in manus et pedes propellebantur a politia de uno carcere in alterum, et quidem de Biała in Siedlce, post aliquot vero dies in Sokołów, de Sokołów in Brześć, Radzyń, Włodawa, vel vice versa; quo quidem tempore a rectoribus missionis caesareae subiiciebantur kozacorum flagris, continuo ab illis quaesiti, utrumne caesareae fidei iam mallent submitti; continuo quoque pellebantur ad varios labores et servitia, in sustentationem autem vitae eorum miserrimae exquirebatur de ruribus et villis poena pecuniaria. Eo porro vexationum cruentarum tempore interdicebantur invisere suas familias, ne forte magis influerent suo animo in contumaciam catholicam suorum. Si post quattuor vel sex annos in atroci carcere exactos superfuissent, aegroti sine ulla spe

vitae ex decreto medicorum officiosorum revertebantur domum, umbris hominum simillimi; sin etiamtum corpore essent firmo, in exsilium mittebantur. In exsilio autem, sive in Syberia sive in remotis Rossiae provinciis, prima et decima quinta die cuiuscumque mensis in magisterium politiae advocati interrogabantur, utrum iam deliberationem suam tenerent paratam caesareae fidei iurare. Accepto quavis vice responso negativo, magister politiae generatim concludebat catholicum confessorem absolvendo: »Si vis ita, pereas miser, apage te!« Ad magnam Dei gloriam et imitatione dignum exemplar, quantum scimus, omnes confessores hi in miseria vitae et duro labore perferendo perierunt, sed catholicos et Polonos sese semper praestiterunt.

Magna nunc eaque curiosa occurrit quaestio, quanam vi cogerentur et Kotzebue generalis gubernator et gubernator Siedlcensis Gromeka eorumque inferiores socii ducesque caesareae missionis, sine ulla fide homines, ut tanto ardore, ira, odio infernali in catholicos inveherentur atque eo magis effervescerent, cum oleum et operam suam deperditam viderent, licet tormentis saevissimis premerent fideles, ut a catholica fide discederent. Cur igitur non solum verbis mandatisque, verum etiam manibus pedibusque suis laborarent atqe efferrate saevirent, contundentes pugnis fideles, calcibus eos conscindentes eorumque facies delaniantes unguibus, vel potenti ictu pugni evellentes dentes ac maxillas dilacerantes, vel de virorum et feminarum capitibus eruentes capillos, et tandem conspersos sanguine in carceres mittentes? Profecto *„auri sacra fames“*, Vergilii dictum, non habuit modum spei ponendae et desiderii caesareae missionis magistrorum. Siquidem non solum pro labore suo a regimine mercedem auri, nec non superiorem in officiis gradum honoremque solemnem assequi studebant, sed vel maxime devorabat eos vexabatque omnes fames unica obtinendorum bonorum de fundo et proprietate Ecclesiae catholicae fisco addicto, videlicet donationis agri, silvae, prati, horti, molae venti, aquariae etc.

Et quamvis omnes hi fidei catholicae inimici, coryphaei schismatis, infernis essent adiuti, sanguis tamen martyrum Podlachiensium, in caelum de terra clamans, missionariorum spem fecit irritam. Tum miranda opera iustitiae Dei apparuere mundo.

Caesar Alexander II durissimum in modum trucidatus de iniuriae throno in iudicium Dei vocatus est (1. III. 1881). Kotzebue, generalis gubernator Varsaviensis, paralysi tactus misere periit. Gubernator quoque Siedlcensis, Gromeka, generalis in Podlachia missionariorum custos et rector, donatus quidem a caesare silva, propria paroeciae Białensis, pulmonali phtisi correptus, tussi animam suam evomuit. Reliqui missionarii duces fere obliterati, pro decennio laboris sui acerrimi de aerario publico singuli unaque tantum vice exiguam pecuniae donationem obtinuerunt (200 rubl. = 500 liras italicas), quippe qui de suo hoc infortunio querelas insolentes ac publicas in regimen suum iacere atque omne in illud acerbitatis virus evomere essent coacti, maledictis se ipsos, sua missionaria officia vitamque appetendo.

Uniti nostri audita morte Alexandri II toto corde suo gratias Deo agebant pro sua a iugo vexationis liberatione. »Pro nostro catholico sanguine, effuso in defensione fidei sacrae, venit ista poena divina. Pro occisis patribus, matribus fratribusque nostris haec ultio divina!« — dicere solebant nostri uniti catholicae suae fidei corde et animo quotidianis precibusque vel maxime adhaerentes. Infortunii miseriis exagitati sperabant Alexandrum III, tyranni filium et successorem in Rossiae solio, iuris sui fore, nec pressurum sui patris vestigia in barbara catholicos et Polonos vexatione. Attamen, cum vota sua et iuramentum fidelitatis novo caesari non in schismaticis fanis et coram popa, ad quem omni vi politiae trahebantur, sed in ecclesiis catholicis et coram sacerdote catholico deposuissent, nullus iam iis bonae spei remansit locus. Omnia novus caesar statuta patris sui, nimirum vigilantissimas schismatis custodias, carceres, pecuniarum poenas exsiliaque in contemptores caesareae religionis confirmavit. In animum levi ingenio caesaris blanditiis orationis suae sacrae et oraculorum influebat monachus, Ioannes Kronsztadzki, qui novo caesari longam vitam et diuturnum regimen monarchiae, ea tamen conditione, ut inimicos fidei caesareae exemplo sui patris reprehenderet, vaticinatus est. Post fata Kotzebue generalis gubernator Varsaviensis designatus est Albedyński. Hominem eum fuisse liberalem fama ferebat, sed tyranni sui servus et miles in administranda iurisdictione studuit sui domini adimplere vota. Itaque Albe-

dyński in clerum catholicum singularem exercuit saevitiam gravesque in eum imponebat poenas, si religiosa sua servitia ac sacramenta catholica administraret unitis. Praeterea ecclesias catholicas, clerum domosque parochorum politiae militibus et exploratoribus circumsepsit, ut perspicere posset. quid catholicus clerus ageret, utrum in unitorum contumaciam influeret eisque catholica sacra administraret servitia, an uniti sacerdotis domum frequentarent vel stipendia missarum offerrent. Clerus Podlachiensis cum animadverteret, non solum caelum videre suam vitam et opera, sed et infestum caesaris oculum perspicere religiosa sua servitia et poenas saevissimas statuere in clerum, religiosa offerentem commoda unitis, quantum potuit, administrare coepit occulte. Quod eo, qui sequitur, fieri solebat modo.

Parochus communiter singulis ruribus, villis partibusque earum statuto ordine designabat tempus nocturnum, cum iam politia et exploratores cleri, diurno fatigati labore, nocturnam quietem quaererent. Parochus tunc, cum iam advesperasceret umbraque noctis premeret terram, laterale ostium ecclesiae suae aperiebat secreto intrantibus unitis. Post aliquod tempus exspectationis clausa ianua, parochus simul et vicarius vel parochus solus coram Sanctissimo et una candela lucente excipiebant sacras fidelium confessiones spatio aliquot horarum vel aliquando ad auroram diei, tum omnes confessi sanctissima reficiebantur communione. Postea uniti singillatim et clanculum revertebantur domum, ut olim spirituales nostri patres Ecclesiae primitivae ex catacumbis vel precum domibus exeuntes, ante solis ortum festinabant domos suas, magnas etiam uniti nostri gratias agebant Deo, quod sub ferreo iugo rossico cum Deo suo et in eius gratia vivere, et orare et pati possent.

Res erat difficilior cum ss. viatico et ultimis sacramentis, quae unitis aegrotis afferenda essent. In his occasionibus necesse erat uti obiicientibus sese momentis commodis. Quoniam tunc in omni fere oppido mercatus hebdomadales peragebantur nundinae vulgo dictae, cum politia multifariis muneribus inservire et propria commoda praeter officium publicae custodiae pacis et communis ordinis curare solita esset. nundinarum ergo dies catholico clero praestabat tempus opportunum cum sacro servitio et sacramentis adire aegrotos mortique proximis unitis

ultima praebere solatia. Parochus igitur sumptis secum aliquot ss. hostiis et oleo sacro, oblongo indutus pallio, pergebat ad unam alteramve villam, in quibus infirmi solatium et ss. viaticum in viam ad Deum clementem iudicem desiderabant. Quibus in villis et ruribus habitabant Iudaei, servitia sacra fidelibus aegrotis praestabant rem difficillimam, nam fere omnes Iudaei, criminosi astutique legem migrantes, latentes in villis, exornati erant a politia nefariis impunitae iniquitatis suae privilegiis, pro sua unitorum fidelium censura, pro officio delatorum eorumque relationibus religiosis cum parochis et vicariis catholicis. Etiamtum Iudaei communes erant unitorum inimici et cleri catholici. In adiunctis his infortuniis fideles et sacerdotes varios quaerebant modos ac rationes adimplendi officia divina. Incolae catholici statuto tempore, simulantes desiderium emptionis cuiusvis rei furatae a Iudaeis vel rei occulto mercatui lege prohibitae, veniebant ad illos, ut inde circa aliquas merces instituerentur oblongae pertractationes et nundinae. Alii fideles interim praeibant sacerdoti in villam properanti ad visitandos aegrotos et morti proximos, auxilioque erant sacerdoti in itinere per hortorum liras ac sepimenta eunti usque in domicilium vel etiam horreum, in quo iacebat aegrotus.

Mortuos suos sepeliebant ipsi uniti sine popae benedictione. Si vero contigerit aliquando, ut politia talem mortuum de manibus familiae vel fidelium vi eriperet atque in coemeterium adduceret popam, qui absolutionem suum funeris supra mortuum adimpleret, tum popa ira incensus, odiosis maledictis et diris exsecrationibus in unitos contemptores caesareae fidei, politiam et se ipsum devovebat, balbutiens consueta dicta: »Sacerdos catholicus furatus est animam mortui et vos adduxistis me, ut benedicerem foetidam eius morticinam«.

Sacramenta baptismatis infantium unitorum administrabant eodem modo secreto sacerdotes nostri, item et benedictionem matrimoniorum coram testibus duobus ex indulto Pii IX et Leonis XIII pontificum Romanorum; testimonia vero officialia baptismi et matrimonii subministrabant unitis tabularia parochiarum Cracoviae. Cum parentes baptisati infantis ritu catholico turbarentur a politia atque vi ducerentur ad popas, qui baptisatam iam prolem confirmarent et schismaticum characterem quodammodo proli baptisatae imprimerent, uniti testimonia

baptismi suae prolis, de Cracoviae parochiali officio obtenta, politiae suae deponebant eo consilio, quod ipsorum proles baptisatae et iam confirmatae essent. Popae, odii sui flagrantia in unitos elati, archiepiscopo suo Varsaviensi demonstrabant falsitatem confirmationis nec non testimoniorum de collato hoc sacramento, attamen manu officiali testimonium subscriptum atque officii catholici sigillum in iudicio archiepiscopi caesareae religionis vicit poparumque instantiam repulit.

Omnium difficillima res erat administrare servitia sacra unitis epidemiae tempore, tunc enim uniti saepius frequentabant confessionis et s. communionis sacramenta, ut in iudicium Dei quovis tempore consistere parati essent. In ecclesiis ruralibus et villicis facilius erat sacerdotibus sacra adimplere officia unitis. Sed in civitatibus, ubi politiae erat copia et Iudaeorum turma frequentissima, difficilior erat et unitorum accessus ad sacramenta et parochorum nocturni temporis designatio cautior, in quo tamen, adiuvante Deo, certis diebus vel potius noctibus ordineque iusto servato villarum congregabantur uniti, senes et iuvenes, sacramentis reficiendi causa.

Hic memorandi sunt laudeque celebrandi patres societatis Jesu, qui missionarii apostolici de Galicia polona venientes divina offerebant servitia populo in Podlachia pro fide catholica passo, magnoque fuerunt adiutorio clero loci saeculari. Quibus patribus peregrinantibus, incolarum veste indutis, alita barba, capillis more incolarum redactis, saepe contigit politiae eludere vigilantiam et caesareae missionis frequentem turmam. Sacri huiusmodi apostolatus praedux exstitit f. m. V. P. Henricus Jackowski, postea provincialis S. J., qui post longum missionarium laborem a politia rossica captus per sex menses retinebatur in carcere Siedlcensi, donec e potestate schismatica liberatus esset ad instantiam sui consulis austriaci. Item magnam laudem assecutus est in memoria grata populi Podlachiensis V. P. Joannes Urban una cum aliis patribus S. J.

Religionis catholicae studia e scholis civitatum et villicis erant nimirum in Podlachia exclusa, gubernatorum Varsaviensium Kotzebue et Albedyński iussu, omnisque ad scholas has iuventutis catholicae parocho eiusque vicario catholico interdictus erat ingressus. Omnes reclamationes, vota populi precesque, tum etiam episcoporum quaestiones obiectae nec non

postulata admittendi religionis catholicae studii in publicis scholis civitatum et ruralibus superbe a scholarum curatoribus et gubernatoribus generalibus repudiabantur. In hisce iniquis educationi iuventutis catholicae conditionibus parochi et vicarii tempore verno atque aestivo exponebant praecepta fidei in ecclesiarum coemeteriis, autummo vero et hieme in domibus parochialibus. Quae res summopere displicuit generali gubernatori Varsaviensi; quapropter prohibita est congregatio iuventutis catholicae in coemeteriis et areis ecclesiarum, in domibus quoque privatis vel etiam parochialibus, ut doctrina cathechismi catholici eidem traderetur, ea videlicet posita ratione, quod unitorum iuventus stricto nexu iuncta catholicae audiret catholicae religionis doctrinam. Tum clerus catholicus in Podlachia, instructionem episcopi Lublinensis sequens, doctrinam religionis iuventuti exponendam transtulit ad ecclesias parochiales, ubi tribus statutis diebus pomeridiano tempore, scilicet feria secunda, quarta et sexta quavis hebdomade, iuventuti congregatae explicabat doctrinae catholicae rudimenta. Cum latini ritus iuventute strictum tenebant nexum non solum unitorum pueri, verum etiam adulti eorum, una fide et ritu iuncti Latinis, diligentissime doctrinam excipientes; cathecheticis doctrinis aderat semper atque observabat eas studiose politiae magister eiusque adiutor una cum militibus politiae adscitis. Omnia igitur suum pacificum cursum tenere iam videbantur; spesque affulsit, politiam non structuram ullas clero et catholicae doctrinae difficultates.

Attamen doctrina catholica iam de signo crucis fronti pectorique imprimendo acuebat oculos auresque politiae. Displicuit enim schismaticis auditoribus ratio, quae ponebatur a clero de signo crucis eaque nimirum: »Si Christus nos de parte laeva perditionis redemptione sua transtulit in partem dexteram salutis, ergo et signantes nos cruce Christi recte signum crucis ductum transversum de brachio laevo transferimus in brachium dexterum«. Iamvero gubernator generalis, cui expositio haec de cruce Latinorum nota facta est, duxit necessarium obligare clerum catholicum, ut commentaria huiusmodi de catholica crucis forma, formae rossicae contraria, in cathechetica instructione praetermitterentur. Mox altera emersit quaestio contraria schismaticis, »quod papa Romanus, episcopi,

clerus et fideles mundi constituunt veram Christi Ecclesiam eamque unam, sanctam, catholicam et apostolicam, extra quam non est salus«. Hanc quoque instructionem cathecheticam, utpote summe humiliantem caesaream religionem, generalis gubernator iussit non proponi iuventuti catholicae. Etiam doctrina de baptismo, in quibus nimirum circumstantiis private conferri deberet et quomodo adimplendus esset adhibita materia sacramenti et observata forma per baptisantem, vehementer gubernatorem offendit. Haud enim dubitabat, quin clerus consulto ea doceret non tam suos, sed potius unitos, ut infantes suos domi ipsi baptisarent ac liberarent catholicos sacerdotes imminente vexatione et poenis, quae pro collato in ecclesia latina baptismo unitorum infanti erant statutae.

Generatim doctrina catholica, in ecclesiis Podlachiae tradita, gubernatoribus bilem commovebat, quapropter indignationem suam et vetita proferebant multa; sed omnia haec incassum cessere, nam clerus catholicus non potuit aliter docere vel doctrinam silentio praeterire.

CAPUT XI.

Generalis gubernator Hurko, catholici cleri et unitorum Podlachiensium singularis vexator. Mors caesaris Alexandri III et Hurko. Caesar Nicolaus II. Comes Szuwałow, gen. gubernator Varsaviensis. Princeps Imeretyński eius successor, qui primus statum fidelium in Podlachia iuste iudicavit.

Persuasum erat caesari Alexandro III Poloniam tantum a militibus modoque militari administrandam esse: virum civilem, prudentem Poloniae haud convenire censuit. Post Albedyński igitur generalis gubernator Varsaviensis fuit Hurko, qui Polonos et catholicos aegre tulit, sed unitos Podlachienses prosecutus est odio, eosque summa atque immani afficiebat vexatione. Carceres igitur, pecuniariae poenae, nec non in Syberiam exsilia. quotidiana erant decreta ab eo lata, et quidem pro baptismo prolis in ecclesia catholica, pro sepultura mortui sine popae benedictione, pro matrimonio unitorum Cracoviae benedicto, ob contemptum caesareae religionis,in omnibus his sacris servitiis malevole demonstratum; haec autem decreta poenarum in unitos sine ullo iudicio atque investigatione uni-

torum culpae sunt lata. Hurko unitorum quaestionem alio prorsus modo ac praedecessor eius aestimabat, quamquam uterque contra catholicam fidem eodem ferebatur animo inimico. Albedyński siquidem unitos homines magnae fidei esse censuit atque firmae voluntatis, cum sine ullo influxu cleri catholici tempore depositionis fidelitatis iuramenti Alexandro III caesari nemo ex iis a vigesimo primo vitae anno ad ultimam senectutem usque fanorum caesareorum limina transcendisset, quamvis per politiam ad iusiurandum dandum vehementer premerentur, sed omnes iuramentum suum in ecclesiis catholicis praestitere. Albedyński porro tyrannidem Kotzebue sanguinolentam improbam tenuit, attamen caecus officialis inhumani caesaris mandata eius saevissima ad amussim exsequi studebat. Hurko tamen unitos putabat esse homines amentes, nullius consilii ac fidei, pertinacibus haedis simillimos, qui potius in exsilio vel in carceribus contabescere aut sub kozacorum perire flagris praeferebant, quam animo facili et ambabus (ut aiunt) manibus comprehendere privilegia gratiasque caesaris. In crimen deinde vocabat catholicum clerum, jesuitas civesque polonos, qui amentem populum unitum ad ultimam adducerent miseriam, offerendo animabus eorum caelum apertum; exinde lauta voce hoc inimicissimum saepe proferebat desiderium suum: »Clero Podlachiae toto in Syberiam pulso cunctisque ecclesiis clausis, populus unitus tandem cognoscet, caelum cum sua mercede apertum esse tantummodo iis, qui suo oboediant caesari eiusque ministris«. Imprudenter igitur ac temere Hurko regebat, vi atque iniuria sua concutiebat omnes, civibus Polonis ac clero animum suum semper hostilem ostendit. Unitos Podlachiae per tredecim annos infesti regiminis sui detinebat in carceribus Białae, in Siedlce, Brześć, Radzyń, Sokołów et Włodawa eosque pro contumacia in fide catholica tuenda et contemptu caesareae religionis pecuniarium gravibus affligebat poenis. Nec unum tamen unitum compulit, ut animum flecteret genuaque submitteret invido schismati. Clerum quoque catholicum in Podlachia de parochiis eiiciebat vel pecuniariis eum poenis afficiebat.

Talis status adversus Ecclesiae Podlachiensis ad mortem usque Alexandri III immutabilis permansit. Qui caesar contra oraculum sui monachi Ioannis Kronsztadzki praematura morte integraque adhuc aetate sua de vita decessit (1894). Eodem fere

tempore paralysi correptus, ut olim Kotzebue, morte misera vitam finivit crudelis Hurko, una cum tyranno domino suo portans visibile supremi iudicis vindictae testimonium.

Nicolaus II, novus et ultimus imperii rossici caesar, quamvis in unitos nostros aequali odio sui patris et avi non sit concitatus, in millenis tamen eorum lamentis et supplicibus obsecrationibus nullam gratiam nullumque levamen largiri dignatus est. In officio autem generalis gubernatoris Varsaviensis comes Szuwałow est constitutus, qui licet non miles, sed vir politicus, vestigia pressit praedecessoris sui; fuit ante legatus officii rossici Berolini diuturnus, nomine quidem homo rossicus, sed animo ac corde Teutonus, Poloniae atque Ecclesiae catholicae hostis, unitis Podlachiae infestissimus. Politicam exsequens prussicam Szuwałow primus persuadere caesari est ausus, Podlachiae provinciam una cum terra Chełmensi seiungendam esse a regni Poloniae terris atque in adiunctis his provinciis Rossiae instituendum gubernium novum Chełmense, ut uniti strictioribus Rossiae finibus circumsepti facilius possent compelli ad religionis caesareae sacra amplectenda. Uniti Podlachienses, audito hoc rossici regiminis proposito, publice proferebant suum consilium mentisque inflexibilem destinationem: »Si nos a fide Christi carcerum muri, exsilia, poenae gravissimae, servitutes et kozacorum lora separare non potuissent, etiam gubernii novi fines non poterunt divellere nos a fide sacra et nostra prece catholica«.

Infesto hosti Szuwałow generalis gubernator Varsaviensis successit princeps Imeretyński. Qui vir iustus ac prudens vidit ubique disordinem, in officio politiae et administrationis iniustitiam, nec ullum nexum socialem cum populo et civibus Poloniae; omnia invenit contraria iis, quae de optimo statu, de ordine et de generali populi quiete in Polonia, praesertim vero in Podlachia proposita sibi in ministerio Petropoli audivisset. Visitatione regni Poloniae peracta, generalis gubernator in suo tabulario invenit plures schismaticorum archiepiscopi Varsaviensis et episcopi Chełmensis querimonias officiales in episcopum catholicum Lublinensem, Franciscum Jaczewski, iactatas, quod longo tempore interiecto non esset exsecutus generalis gubernatoris iussa de translatione necessaria parochorum suorum, quippe qui in Podlachia religioni caesareae nocivi iudicarentur.

Mox novae eorundem antistitum rossicorum supervenere accusationes de influxu nocivo sacerdotum latinorum Podlachiae in unitos, quibus quidem querelis necessaria horum sacerdotum expulsio exquirebatur. Conquesti sunt quoque episcopi rossici, quod populus regiminis iussu connexus iam cum religione caesarea viginti quinque abhinc annis, quamvis per politiam pressus graves sustineret poenas pecuniarias et carceres, frequentare tamen ecclesias rossicas recusaret, collectam pecuniae ab iis exigendam in sustentationem ministrorum ecclesiae solvere declinaret, servitia et custodiam penes ecclesias non exerceret, nimirum hac audaci ratione posita, quod uniti a saeculis essent catholici et Poloni, ergo manerent tales, nullo cum religione caesarea eiusque ecclesia nexu coniuncti; conquerebantur deinde, quod uniti prolem suam in ecclesiis catholicis baptisarent, ipsi sepelirent mortuos, devitantes praesentiam ac benedictionem popae; episcopi rossici litteris suis admonebant insuper principem, quod praedecessores eius graves poenas in huiusmodi violatores legum et in sacrilegos publici ordinis turbatores inflixissent; rogabantque tandem eum, ut haec delicta iure disceptaret. Nec deerant etiam gubernatores Lublinensis et Siedlcensis, qui in tabularia principis deponerent plura sacerdotum catholicorum nomina, quod servitiis suis religiosis oblatis libenter populo unito ad contumaciam eum inflammarent et a contemptu caesareae religionis non desisterent.

Altera ex parte episcopus Lublinensis et administrator coniunctae dioecesis Podlachiensis, Jaczewski, in suis ad principem curialibus scriptis valenter exposuit statum desperatum unitorum, hominum firmissimae fidei catholicae, quippe qui orbi suis ecclesiis, altari, sacerdotio suo et auxilio sacro, frequentarent solummodo ecclesias catholicas, a sacerdotibus catholicis servitia sacra expeterent illosque lachrymis cogerent et prece, ne a sacra fide dimoverentur. Sacerdos catholicus, cum ex mandato Christi et charitate proximi non denegaret, sed pareret unitorum obsecrationibus, gravibus poenis atque eiectioni de sua paroecia succubuit; unde res eo deducta est, ut ecclesiae parochiales polonae carerent saepenumero sacerdotibus et in frequentissima regione catholica desertarum aedium prae se ferrent speciem. Episcopus Jaczewski demonstravit igitur principi, huiusmodi oppressionis conscientiae liberi homi-

nis statum libertati fidei catholicae in catholicissima regione perquam esse inimicum, deprimere fidelium animos nec non beneficium pacis continuo et inique perturbare. Episcopus noster non tantum defendit unitorum Podlachiensium characterem pacificum, sed fidem eorum extollit laudibus, quam nec poenae diuturnae, nec carceres, nec tormenta labefactare possent; immo his vexationis temporibus fides haec et unitas eorum cum Ecclesia catholica strictissimo nexu ita coaluit, ut politia et regiminis rigor nunquam eos ab Ecclesia catholica avellere posset; immo vero continuo turbae motusque excitabantur, eo quod animus et conscientia firmissime credentium hominum in discordia hac et acri certamine primas teneret partes. In privata deinde audientia episcopus Jaczewski fusius repetivit principi nefandum Podlachiae statum religiosum assidueque rogavit eum, ut et sublimi officio suo inspiceret hanc perturbationem et excogitaret modum allevandi miserrimam unitorum condicionem, ac caesari rei veritatem acerbam illustraret adferretque tandem lumen iniuriis eorundem verum. Ipsi quoque uniti Podlachienses gementes et flentes obtestabantur principem, ut interdecente sua misericordia et gratia iustoque excelso officio liberarentur a continua politiae quaestione, ex carceribus, a poenis pro catholica sua fide passis continuoque redditis; rogabant permitteret caesar misericors, ut essent catholici et in fide avita manerent.

Aperti sunt tum oculi principis, humanitatis et benevolentiae plenissimi erga populum fidelem, iniuste subiugatum astutia politiae et tyrannide. Imeretyński cognovit erroneas et a veritate abhorrentes ministrorum de Podlachiae unitis opiniones, quae rationibus praedecessorum eius sinistre concinnatis fundatae erant, atque de falsis et consulto iam mendacissimis scriptis gubernatoris Siedlcensis eiusque octo magistrorum politiae in Podlachia excerptae. Princeps Imeretyński percepit impurum et foedum fontem hominum, qui crimine iniuriae et tyrannidis obducti relationibus suis superiores suos obcaecare eisque veritatis offundere caliginem satagerent eo videlicet fine iniquo, ut tanquam functionarii necessarii in Podlachia, aucto salario et multiplicatis vitae commodis, diutissime in suo officio permanere possent. Cognitum quoque habuit consodalitionem fidelis populi catholici cum religione caesarea fuisse

artificiosum et theatrale opus, in saevissimo terrore ac sanguinolento populi cruciatu mandatum. Diligenter oculis animoque suo perlustravit imaginem hanc funestissimam rei iusteque censuit, in aurora XX^{mi} saeculi huiusmodi lege carcerem et odii minui populi dignitatem eiusque iura religionis, qui pro viribus si non se ipsum, certo religionem suam magis colere eamque defendere non desisteret. Iamvero nullas perspiciens rationes liberandi populi a conscientiae martyrio ac vitae eiusque corporis afflictione continua, tandem aliquando ausus est caesari suam deponere precem, qua humillime obsecravit supremum ab eo promulgandum edictum de libertate conscientiae populi Podlachiensis, nec non de eximendo clero catholico ex poenis pro servitiis religiosis populo fideli ad eius lamenta praestitis. Quae missae turbine sinistri aëris thyphonis humillimae principis ad caesarem litterae commoverunt vehementer animos non tam caesaris eiusque intimorum, quam synodi sacrae, senatus, ministrorum, eosque inimicissime contra principem Imeretyński concitavere. Princeps liberalis hominis notam apud illos meruit, deinceps officium eius ac regimen in Polonia est clausum.

Haud igitur inimicus Poloniae atque Ecclesiae catholicae princeps Imeretyński, sed vir iustus et aequus dicendus est, quippe qui machinam politiae in Podlachia in sua iniquitate contra Ecclesiam ac fideles concitatam firmiter continuit; qui plures unitos e carceribus pro fide sua detentos liberavit et aequo exspectabat animo ministerii responsum ad suas ipsi caesari submissas preces. Praeterea, quod iuvat notandum, princeps Imeretyński ad quaestionem propositam sibi a ministerio de terris Podlachiensi et Chełmensi a corpore Poloniae avellendis atque Rossiae adiungendis respondit negative, quam rem non solum inconvenientem rerum publicarum tenendarum rationibus, sed etiam impossibilem ex militaribus aeque ac civilibus necessitudinibus esse arbitrabatur. Haud dubium enim erat, quin abscissio duarum provinciarum Poloniae eiusque vivi corporis, excogitata a synodalibus et ministerio ad separandos a Polonia unitos eiusque in unitos influxu activo et morali, iusto et sobrio iudicio principis Imeretyński etiam amicos Rossiae Polonos regimini caesareo infensissimos redditura esset.

CAPUT XII.

Czertkow, gen. gubernator Varsaviensis. Caesaris Nicolai II de tolerantia religiosa edictum (30. IV. 1905). Episcopi Lublinensis, Francisci Jaczewski, missionarius labor. Fidelis Podlachiae populus felix, popae et administrativi officiales depressi animo. Moderatio atque inflexio edicti caesaris per ministeriales conditiones facta.

Imeretyński cessit locum generali gubernatori Czertkow. Qui iterum inimico regimine suo libertatem cleri catholici in Podlachia comprimere coepit, unitumque populum fidelem saevis poenis pecuniariis et carceribus afflixit. Brevi tamen tempore et quidem in finem vergente iurisdictione sua recepit supremum edictum caesaris, die trigesima aprilis a. 1905 Petropoli promulgatum atque denuntiatum Poloniae populis de plena confessionis religiosae libertate, cuius vi etiam homini rossico schismatico, si voluisset, ad christianam fidem alterius confessionis transitus immunis pateret.

Non dubium est, quin hoc memoriale edictum, in quo clarissime a principe Imeretyński depictus esset Podlachiae status civilis et religiosus, ita permoverit caesaris animum, ut non solum unitis Podlachiae, quod petisset princeps, sed omni populo Rossiae et Poloniae tributa esset libera electio et adhaesio religiosae confessioni christianae, quam sibi quisque vellet. Publica diurna scripta rossica erant convicta, caesarem motu proprio sine ullo synodi aut senatus consilio excogitasse edictum hoc de tolerantia religiosa et conscientiae libertate, atque ipsum divulgandum dedisse, admissis ad consilium intimis principibus suis et personis amicis. Sancta Sedes apostolica, hucusque depressa vexatione tyrannica fidelium in Podlachia unitorum atque hostili quaestione obiecta clero catholico, magna affecta est laetitia, cum a legato rossico hoc caesaris edictum sibi depositum cognovisset.

Iamvero edictum hoc episcopum Lublinensem Jaczewski incredibili perfudit gaudio, cum studio eius ardentissimo eiusque molestis precibus princeps Imeretyński superatus, primus audacem hanc mentem caesari dissolvendam obtulisset. Fidelis autem populus unitus, cum in omnibus ecclesiis catholicis audivisset edicti caesaris verba, de libertate confessionis religiosae

sibi donata, summo gaudio exultans animoque gratissimo benedicens caesarem, confestim porrexit ad proximum parochiae catholicae tabularium, offerens nomina et cognomina sua suaeque familiae in album catholicae parochiae pro memoria aeterna servandum. A primo mane usque ad vesperam quotidie, dominicis et festis diebus non exceptis, in coemeteriis ecclesiarum vel in areis domorum parochialium generalis peragebatur conscriptio unitorum, cum talem hominum conventum nullae aedes capere potuissent. Quae turba et colluvio hominum continuo fluvii modo veniebat et refluebat, benedicens Deum, quod eorum martyrum precibus tanta ipsis gratia caelestis impetrata esset. Omnes fuerunt laeti et felices. In eorum vultu ineffabile luxit gaudium, ipsi quasi e carceribus egressos sese putarunt et quasi compedibus liberatos. Et dux luminum in caelo, sol purissimus, quasi prima vice ipsis apparuit collustravitque libertatem fidei hominis catholici, poloni eiusque fidei sacrae confessionem publicam. Homines claudi, infirmi, senes fracti viribus, feminae seniles, omnes qui passi erant olim saevissimos caesareae missionis cruciatus, nunc autem ope virium suarum non poterant ad parochiale tabularium venire, in curribus advecti atque in liberorum vel nepotum suorum brachiis intromissi sunt et praesentati ad inserenda sua in album catholicorum nomina, felices se putantes, quod iam mori possent in pace et in catholico coemeterio sepeliri, benedictione sacrae Ecclesiae dicati.

Ab a. 1865 regimen rossicum episcopis Podlachiensis et Lublinensis dioecesium interdixit visitare paroecias etiam latini ritus, ubi mixti cum Latinis habitarent uniti. Nunc vero episcopus Jaczewski, licet senio et diuturno morbo correptus, ratione caesaris edicti ita impulsus exstitit, ut iam maii mensis initio in visitationem ecclesiarum suarum, quibuscum uniti officium suum exsequentes iungebantur, laetus exiret. De inexspectato hoc triumpho veritatis Ecclesiaeque ingenti expletus gaudio episcopus noster, septuaginta quattuor annorum senex, in hoc itinere et acri suo indefessoque labore redintegrare vires corporis gratia Dei mirifice videbatur. Fideles nostri uniti in suis villis ruribusque venientem exspectantes episcopum, floribus et Sanctorum imaginibus decorabant domos suas, et cum familia sua genuflexi recipiebant verbum eius paternum et be-

nedictionem, eumque secuti ad parochialem pergebant ecclesiam, ubi divinis assistentes officiis accedebant ad sacramenta sacra accipienda. Praeterea in omnibus suis villis et ruribus in gloriam Christi, qui mortem et infernum vicit, atque in memoriam laetissimi huius momenti, in quo patientia sua, martyrio ac prece, gratia Christi suffulti, caesareae missionis infernum superarunt, erigebant cruces sanctas, in quibus incisus erat dies, mensis annusque, quo episcopus Jaczewski visitavit et benedixit eorum limina. Toto huius quasi iubilaei catholicae fidei, processionum, manifestationum polono-catholicorum tempore, omnia fana schismatica tenebantur clausa. Popae occultabant et detinebant se domibus vel in hortis, verecundia deterriti atque obstupefacti, quod contumaces olim et fanorum caesareorum contemptores omnes iam non occulto, sed palam et in propitia ipsis luce canendo sacros laetitiae hymnos, per turmas ad ecclesias et ad suum episcopum contenderent. Ecclesiae catholicae ita frequenti populo unito erant plenae, ut maxima pars staret in areis sacrarum aedium, ubi et sacra celebrata sunt. Popae confecti moerore maledicebant ipsi caesari, quod suo nullius consilii edicto unitos ab illorum nexu absolvisset atque ipsis fidelibus rossicis permisisset eligere fidem alienam libero insipientium arbitrio.

Ac sane campanarum pulsatores, fanorum custodes rossici, tutores atque fanorum servi, cantores, cum quotidie homines rossicos toto animo studere veritati catholicae animadverterent, vestigia eorum sequebantur, festinabant publice et coram testibus deponebant in Ecclesia catholica confessionem fidei eiurato schismate. Vidimus tunc, quomodo oraculi Mariae Alexandri sortem elusissent uniti; illa etenim vaticinata est unitos Podlachienses post decem annos carcerum et poenarum pro contemptu caesareae religionis perventuros tandem ad sacra caesaris. Sed per decursum vitae Alexandri II, eius mariti ac per totum eius filii Alexandri III regiminis tempus, quamvis uniti nostri in nefario servitutis iugo viginti annorum spatio detenti essent, tamen nullus eorum voluntarie fanorum caesareorum est transgressus limina. Sequentes anni decem regiminis eius nepotis Nicolai II non minuerunt, immo vero auxerunt ardorem fidei catholicae unitorum, qui pervulgata »contumacia« sua ipsius caesaris veram contumaciam vicerunt; nunc autem edicto eius

aucti confessoribus ipsis caesareae religionis ad eiurandum schisma ad aras catholicas duces exstitere.

Magistri interim politiae, cum gubernatores tum minimi officiales et popae, metu perculsi omnes hoc libertatis inauditae populorum in Podlachia et terra Chełmensi edicto, conveniebant in consilia et deliberationes ignorantes, quid sibi nunc censendum agendumve esset? Duplicatus enim in Podlachia et terra Chełmensi officialium numerus institutus erat ad investigandam actionem cleri catholici nec non ad vexandos unitos una cum sacerdotibus catholicis, quos hucusque servitiorum sacrorum secretus atque interdictus iungebat nexus; nunc vero inquisitione huiusmodi sublata multi officiales iam locum suum perperam tenebant et praepostere sua trahebant salaria. Popae item lamentis et querelis se totos dederunt, qui hucusque parochi erant nominum et cognominum saltem parochianorum, in eorum tabulariis albo depositorum. Nunc vero cum parochiani cognomina nominaque sua in ecclesiis et tabulariis catholicis deposuissent, popis in Podlachia nihil aliud restabat, nisi valedicere locis suis commodis et in Rossiam vel in Galiciam migrari cum tota familia sua. In quibus communibus consiliis politiae simul ac poparum unum tantum iudicium exstitit certissimum, edicto caesaris Rossiae et Poloniae, adferenti inexspectatam libertatis conscientiae legem, subrui et everti totam administrativam in Podlachia et religiosam machinam, in oppressione Ecclesiae catholicae et uniti populi fundatam. In huiusmodi conventibus est statutum generatim, aequo animo rerum mutationem ferre atque exspectare eventus futuros, qui certe non tam prope et cito ad publicos evenirent usus; nam edictum caesaris cum haberet suam logicam, fundatam in absolutismo caesareo, administrativam ac religiosam machinam quoque vim habere suamque philosophiam in voluntate eiusdem caesaris absoluta; sed multo facilius est excogitare et scripto mandare edictum illudque denuntiare populis, quam diuturnam administrationis machinam uno mensis decursu mutare. Hac igitur ratione ac consilio, ut pacifica exspectaretur ulterior rerum mutatio, pars sanior eaque parva officialium et poparum omnia dirigi statuit. Sed altera pars vesana eaque in Podlachia potentior, improspere sinistro edicti caesaris concitata successu, in synodum et ministros atque in ipsum etiam caesarem asperis

contumeliis ac maledictis invehere coepit, et in excessus varios proruit. Ira et odio ardens non solum pacificis catholicis publicam intulit vexationem, sed coram magistris politiae et gubernatoribus accusabat eos, quod novi confessores catholici offenderent ipsos verbis et factis, terrores minasque iactarent, quod caesarea religio de Podlachia cum popis brevi in Rossiam reditura esset, et caesarea fana in Podlachia omnia in catholicorum possesionem ventura. Et nil mirandum. Quodsi synodus Petropolitana, metropolitae, archiepiscopus Varsaviensis et Chełmensis schismatici cum universa officialium legione administrativa et politica in Polonia, gubernatores et infimi politiae milites caesarem eiusque edictum haereticum appellarunt, omnes hi officiales et popae Podlachiae in catholicos vehementer invecti sunt, denuntiantes eos seditiosos et rebelles esse, indignos ullo favore, a quibus inordinate benefica manus caesaris retraheretur necesse est.

Tandem generalis gubernator Varsaviensis die vigesima maii (a. 1905) improspere concitatam mentem suam episcopo Jaczewski aperit, falsissime illi denuntiatam, catholicos Podlachiae homines pro tanto beneficio caesaris esse ingratos, turbulentos, vexatores caesareae fidei confessorum; additque nuntium ridiculum, caesarem nihil de sua religione, neque unam suam imaginem sacram redditurum catholicis. Episcopus Jaczewski respondit generali gubernatori, has litteras officiales de falso exortas esse fonte, cum populus fidelis totius Podlachiae caesarem maxima prosequeretur laude teneretque memoriam edicti eius de trigesima aprilis gratissimam; totumque pacificum esse neque cogitare de aliqua ordinis et pacis inversione. Solummodo officiales administrativos et politiam nec non popas omnes magno dolore affectos aegre ferre non opportunum sibi exitum caesarei edicti; concitari ab ipsis criminosos, ebrios atque infimae condicionis homines, qui a praeeuntibus politiae militibus coacti in latronum greges irruerent in orantes fideles, genuflexos coram s. Cruce aut in festinantes ad ecclesias, caederent eos baculis, lapidibus obruerent, pugnis tunderent, neque politiam defendere pacificos, neque aggressores in carcerem dare, sed vulneribus in corpore, in facie, in capite oppletos fideles catholicos in carcerem detrudere atque indulgere crimini, cum infamis ipsa esset et criminosa; has caedes catholicorum politiae

crimini dari. Politia etenim videt s. Cruces catholicas penes vias publicas stantes a turba succidi ac comburi, videt Sanctorum statuas demoveri de loco suo et in paludem proiici; politia videt a caesareae religionis pervulgatis sororibus charitatis pelli de nosocomio catholicorum sacerdotem, qui cum viatico et sacris oleis penes lectum moribundi catholici sancta venerit adimplere officia; politia his omnibus non movetur, neque sui esse officii censet desordinibus et factis occurrere criminosis, cum magistri et superiores una cum popis aegre ferant edicti caesaris effectus et suspensam habere velint imperatoris sui voluntatem. Episcopus noster praeterea gubernatoribus Lublinensi et Siedlcensi palam haec descripsit politiae crimina et intercessit pro fidelibus suis, impunita vexatione turbatis ab hominum ebriorum catervis, quibus generatim praeductoria erant inferioris politiae membra.

Episcopus ac clerus Podlachiensis praeclarum edictum caesaris clare ad litteram interpretabantur et ad verbum illud exsequi studebant respectu habito venientium in sinum Ecclesiae catholicorum, omnibus contentionibus, postulatis iniustis notisque politiae reiectis. »Est mihi edictum caesareum« — ad omnes gubernatorum et generalis gubernatoris quaestiones respondebat episcopus Jaczewski. »Edictum caesaris habeo atque episcopi instructionem; scio, quid mihi agendum sit, et tuis postulatis et condicionibus positis non stringor« — ita politiae et magistris administrativis ad eorum positas difficultates et quaestiones respondebat parochus. Attamen liberalia scripta diurna, Odessae, Moscoviae ac Petropoli in lucem prodeuntia, post publicatum edictum caesaris, ineunte laboriosa Ecclesiae catholicae missione, perspexerunt et monuerunt Polonos et Podlachienses catholicos, a synodo, ministris, magistrativa et universa politiae machina edictum caesaris, liberale et humanum, eiusmodi condicionibus, additamentis, rationibus institutisque suis ac formis circumscriptum iri, quod libero homini rossico de caesarea ad catholicam religionem transitio fere impossibilis futura esset.

Ac re vera iam mense iunio eiusdem a. (1905) ministerium generali gubernatori et gubernatoribus misit informatorias suas litteras (sub Nro 4628), quasi iam a caesare acceptatas et confirmatas, quae modificantes et summe inflexantes edictum de trigesima aprilis praefinirent novum modum ser-

vandum clero catholico iisque omnibus, qui de caesarea religione ad catholicam abire in animum induxissent. Tum generalis gubernator nec non gubernatores Lublinensis et Siedlcensis communicarunt ministeriales instructiones episcopo Jaczewski, quas ille aequo animo perlegit et servavit »pro memoria« ad acta depositas. Quas condiciones ministeriales rossicis hominibus positas in proposito veniendi in sinum Ecclesiae catholicae adimplendae, rem prorsus puerilem nulliusque consilii brevissime hic proferre iuvat. Imprimis decernitur, non catholicam sed caesaream religionem habere ius missionis, et si quis iam assumptus esset ad catholicismum non asservatis condicionibus ministerialibus, regimen huiusmodi Ecclesiae catholicae actionem aboliturum esse. Condiciones autem adimplendae statuuntur eo, qui sequitur, modo: 1° Omni homini rossico, etsi in Ecclesia catholica iam esset professus, supplices gubernatori suo vel politiae magistro deponendae sunt litterae, quod ipse desiderio teneatur de caesarea ad catholicam abire fidem. 2° Gubernator certum facit episcopum rossicum, episcopus vero popam, de cuius ovili aufugere velit insana ovicula eius; popae autem, adscito politiae adiutorio, per unum mensem modo recollectionis super errantem ovem laborandum est, ut inspiret eam ad secessum ab Ecclesia catholica. 3° Gubernator exacto mense vel etiam pluribus causam pertinacis hominis reddit episcopo catholico, qui demum potest parocho consueto permittere, ut sic errantem hominem rossicum Ecclesia catholica suscipiat in sinum suum. 4° Parochus catholicus actione sua finita certiorem de ea facit episcopum suum, episcopus hac de re rescribit gubernatori, qui certiorem facit vladicam (episcopum schismaticum), hic autem suum popam, ut ex libris suis ovem perniciosam eliminet.

Quibus difficultatibus positis ministerium rossicum censuit fore, ut ex hoc excogitato synodali cribro multi e sinu catholico ad caesaream fidem revolarent. Quae spes ministerium ac synodum omnino fefellit. Jam primo post divulgatum caesaris edictum mense maio episcopus Lublinensis habuit inscriptos et officiali modo susceptos in sinum Ecclesiae fere centum millia catholicos. Annis post sequentibus quattuor, i. e. ad exitum a. 1908, uniti et rossici auxerunt fidelium numerum ad ducenta millia.

Praeterire non possum atrox odium, inclusum infestis sensibus, quod in catholicos Poloniae regimen rossicum effundere studuerit; quod equidem facile percipitur de singulari patrocinio eiusdem praestito stultissimae haeresi Mariavitarum seu potius Kozłowitarum. Quo enim tempore prosperum momentum in Podlachia fidelium percensemus, generalis gubernator ac gubernatores Podlachiae et Lublinensis nec non magistri politiae ministrorum et synodi iussa exsequentes, omnibus privilegiis exornarunt sectarios praedictos dementissimae temeritatis, quorum aliquot sacerdotes in Podlachiam miserunt ad populum catholicissimum, ad filios et nepotes confessorum et martyrum pro sacra fide tuenda, ut eos, quos popae imbecilles et impares de Galicia schismatici triginta per annos in castra religionis caesareae trahere nequivissent, Mariavitae sacerdotes apostatae poloni ad suam perducerent haeresim. Sed periculi huius fatalis Mariavitis fuit exitus, nam a nostris unitis proiecti sunt foras pari modo ac popae ceterique Ecclesiae catholicae inimici.

Cum duabus tantum dioecesibus, Podlachiensi videlicet et Lubliniensi, continerentur fideles uniti, soli episcopo Jaczewski, earum rectori unico. sustinendi erant omnes labores defendendi suos fideles contra gubernatorum, generalis gubernatoris Varsaviensis ministrorumque hostiles incursus. Ineunte a. 1909 minister, admiratione magna incessus, quaesivit ab eo scriptis missis, quid causae esset, cur ministerialis instructio a. 1905 eousque penitus oblitterata in eius dioecesi exstitisset? Admonet deinde episcopum, ut instructio illa tandem exsecutioni demandetur. Episcopus ministro retulit, edictum caesaris, quod quidem non esset suspensum neque condicionibus ullis limitatum, episcopo eiusque clero unicam fuisse procedendi normam in officio admissionis ad sacra catholica homines acatholicos; ministrorum condiciones additas iam ante annos quattuor minoris esse momenti, nec ministerium ipsum aliquando iis annis ursisse ad easdem adimplendas, quippe quae obligarent tantum gubernatores, magistratus, popas, politiam, non vero clerum Ecclesiamque catholicam, adimplentem in pace suum officium spirituale. Clerus et fideles Podlachienses, compertum habentes huiusmodi rei exitum, magna afficiebantur molestia, sed senilem suum pastorem secuti, forti erant animo aeque atque episcopus.

Iamvero omnium gravissima exstitit condicio unitorum iuvenum, qui exacto vigesimo primo vitae suae anno rei militari nomen dare tenebantur et servire in armis tres aut quattuor annos; hi enim maxima premebantur cura in adimplendis omnibus condicionibus praedictis, ut in exercitu pacifice sacra sua catholica peragere possent officia. A. 1909 usque ad a. 1914 ad has ministeriales formas adimplendas fere quindecim millia iuvenum hominum varii status et condicionis accedere sunt coacti; sicque synodali cribro agitati, post varia incommoda multasque temporis et pecuniariam expensas, in totam suam catholicam vitam etiam officiali sigillo rossico muniti erant.

CAPUT XIII.

Exortum mundi bellum. Caesar Nicolaus II visitat Lublinum. Officialium et poparum gaudia, mox desperatio et maledicta. Russi de Podlachia exeunt. Conciliabulum Brestense (9. II. 1918). Prussaci cum Ukrainis Podlachiensium vexatores. Unitorum luctus.

Demum exoriente bello mundi a. D. 1914 vexatio catholicorum in Podlachia cessavit siluitque omnis religiosa quaestio. Tum enim Russi amicalem Polonis tetendere manum videbantur, ut iniurias sibi illatas obliviscerentur et sicut gemini fratres arreptis armis Germanum, communem omnium Europae nationum hostem, devincerent. Polonia, imbecillis ac Rossiae imperio subiecta, contraire nequit, et plus quam decies centena militum suorum millia auxilio Russis mittit. Universam exinde Poloniam Martis catena, germana et rossica, constrinxit, et belligerantes ambo erant iurati Poloniae hostes. Igni ferroque perculsae sunt ecclesiae, domicilia civitatum ac villarum in ruinam concisae; agri, segetes, iam collecti incolarum fructus direpti, devastati vel combusti. Homines profugi in latebris silvarum se occultabant, fuga saluti suae consulentes, vel in fossis profundis penes sua tecta depressis, vitam suam familiamque contra tormentorum inimica tela servare cogebantur. Clerus populusque fidelis Podlachiae et terrae Chełmensis servabat aequum animum suum et quietum, non ignorans bellum hoc non pro bono Poloniae atque Ecclesiae exorsum esse. Sed popae et officiales schismatici in Podlachia continuo varia belli fortuna agitati,

vel nimio exultabant, gaudio vel e gaudio ad depressionem animorum vocati, rursus in spem veniebant, prout arma rossica in acie superabant Germanos vel inferiora et victa suo cedebant hosti.

Autumno primi anni (1914) caesar Nicolaus II venit Lublinum adiitque incolas catholicos in ecclesia cathedrali congregatos. Ab a. siquidem 1857 neque avus caesaris, neque eius pater, nec ipse, quamvis saepius fuissent Varsaviae, nemo eorum unquam limina cathedralis ecclesiae transcendit; semper diffidentiam suam ostendebant Polonis et catholicis. Imminens bellum quievit atque aequavit animum Nicolai II erga Polonos. Sed popae rossici ac de Galicia coryphaei schismatis in Podlachia caesarem onerarunt maledictis, quod cum praesens fortuna belli ipsis arrisisset, ille Deo catholico sua deponeret homagia! Quotiescunque belli eventus erat secundus atque Austria opprimebatur timore, Podlachiae gubernatores, magistri politiae, praesertim vero popae immenso triumphantes gaudio iam capitibus suis caelum attingere videbantur. Gratulabantur inde caesari, ducibus armorum, invicto exercitui suo et absolvebant iam caesarem de eius homagii culpa, quod deposuisset sacris catholicis Lublini. Qui tamen omnes neque suspicabantur, nec sibi persuasum esse volebant, a Polonis et praesertim ab unitis Podlachiae, humanitate ac desiderio animi ductis, pugnaces in Galicia legiones rossicas adiuvari. Poloni et uniti tunc genuflexi coram Crucifixo Domino gemitu et lachrymis levamenti gratiam petebant instantibus malis, quae ipsos per Rossiam oppressos continuo obruerent. Sed belli fortuna cum possit et retro volvi, ita et Rossiae victrices legiones sustinendo onere belli defatigatae atque impares hostibus cedunt et occupatam ruinisque stratam Galiciam tandem relinquunt.

Quae infelix defectus rossici exercitus fama fulminis ictu perculit animos magistratus et cleri rossici in Podlachia commorantis. Spem illam, quam non ita multis ante diebus suscepissent ingentem, nunc deposuerunt et in desperationem iacuere depulsi. Totus magistratus et clerus rossicus in Podlachia iam sibi timere coepit et dubitare, an in commodis possessionibus et officiis suis exsequendis essent securi. Unde omne odium iramque suam effudere in caesarem et evomuere in eum virus acerbitatis atque indignationis suae. Maledictis carpebant

belli duces, exercitum, exsecrabantur ipsam causam belli. Popae blasphemias effutiebant pueriles, maledicebant sibi ipsis, familiae suae, statui suo, suis vestibus. Iam deerat ipsis voluntas ac tempus deditum hesterno luxui, lusoriis chartis, tripudiis variisque excessibus. Antequam de Polonia et Podlachia exercitus rossicus discessisset, cuncti officiales administrativi ac popae de Podlachia et terra Chełmensi iam Rossiam petebant, nec unus eorum loco suo remanere ausus est.

Post recessum regiminis rossici Podlachia totaque Polonia benedixit Deo pro gratia liberationis a iugo rossico sibi data, quo ille hostis diu premebat patriam nostram, fidemque Ecclesiae et unitos nostros sanguinolenta pro fide catholica vexatione obruebat. Ut olim fidelis Israël in Arabiae solitudine miserrimam vitam per annos quadraginta egit, ita et uniti nostri orbi suis ecclesiis, altaribus, sacerdotibus per quadraginta annos vagabantur, quaerendo gratiam Dei et sacramenta salutis. Israël decertavit bello cum barbaris hostibus: uniti patientia sua et admirabili in sacra fide constantia superarunt infensissimum hostem suum. Deus suppeditabat Israël admirabili modo escam vitae, mannam, coturnices: unitos nutrivit caelesti manna et sacramentis. Israël expletis in deserto annis quadraginta vitae intravit in terram pacis et studiosi laboris: uniti post annos quadraginta saevissimarum pro sacra fide tuenda quaestionum intrarunt in arcam pacis, laboris, gratiae Dei, in Ecclesiam suam catholicam, quibuscum etiam plurimi acatholici hac fidem quaerebant, et intrarunt in ovile unius pastoris, gratulantes edictum caesaris de trigesima aprilis anno 1905 latum. Religio catholica et patria, duae polonae matres et vires duae, sua iam existentia et vita perpetuo movebant regimini rossico odium iramque et continuo cogebant, ut novas iniret rationes stringendae fidei catholicae amorisque patriae obruendi. Sed ut inferni pugna contra fidelem Hiob finita est domitu satanae, ita et regiminis rossici contra rem sacram catholicam et Polonorum patriam modum fecit rossicae superbiae eversio, quae tandem convicta exstitit, sese quidem unam alteramve sacram nostram petram tutudisse, sed comminuere eas nequivisse et virga Dei pulsam terra polona tandem exiisse. Tunc Polonia una voce ac prece exclamavit laeta: »En benignitas divina pro saeculari vexatione nostrae gentis polonae nostraeque fidei catholicae! In hoc signo cognovimus iustis-

simam Dei potentiam et misericordiam nobis praestitam, quae aperiret nobis meliorem vitam laboris et maioris incrementi fidei in patria libera«.

Ad tempus a Deo designatum regiminis rossici loco in terris nostris steterunt germanicae potentiae duae. Austriacum regimen catholicum tolerabiliter erga nos observabat humanitatis regulas et sacram disciplinam catholicam. Prussacis vero in terra nostra obsessa placuit elatum et strictum supra nos tenere pugnum, ne prussicam vim domitorem et magistram esse mundi ignoraremus. Itaque in Podlachia Prussaci vexabant Ecclesiam et clerum. In ecclesiis catholicis praecipiebant suis pastoribus, ut haereticas celebrarent preces. Quodsi parochus loci huic militari abusui se opposuerit, vel post pastoris finitas preces benedictione sacra ecclesiam pristinae conciliaverit sanctitati, magistri exercitus iussu remotus est paroecia sua, incarceratus et solvebat poenam pecuniariam pro contemptu lutheranae confessionis. Podlachia, liberata a Russorum iugo, iugum Prussorum sibi impositum aequo animo tulit. Parochis populoque fideli prohibitae sunt observatae publicae processiones. Ecclesias catholicas earumque aedes, quas regimen schismaticum suo praedatorio addixit cultui et parochianos ex iis expulit, iungens eos cum aliis paroeciis, cum nunc parochiani adire vellent et clausas catholico pristino suo reserare cultui, prussicum regimen vetuit, ne proprietas catholica redderetur catholicis, sed libenter sacras has aedes cultui schismatico et adventiciis de Ukraina popis reddendas censuit. Ecclesiis quoque catholicorum unitorum Podlachiensium, iniuria spoliorum hostilium in fana schismatica permutatis, cum catholici voluissent ecclesias clausas aperire, reconciliationem et servitia in iis adimplere catholica atque interventu episcopi sui sacerdotem catholicum parochum suum invitare, Prussaci preces parochianorum supplices superbe reiiciebant, sed studiose et liberaliter offerebant has ecclesias Ukrainis schismaticis ratione infamis conciliabuli Brestensis, quo tota provincia Podlachiae polona una cum terra Chełmensi in schismaticorum potestatem ventura esset.

Cum Podlachia et Chełmensis terra hostili et furtivo mercatu a germanis potentiis, austriaca et prussica, Ukrainis venditae essent pro eorum adipe et frumento, acerbissimo tum

succumbentes dolori cum toto polono populo, Germanorum crimina manifestarunt hostilia. Et quamvis Podlachienses pro sua publica doloris manifestatione poenam pecuniariam regimini prussico solvere deberent et millenos dare fratres in carceres in Siedlce, Białae, Brześć, Włodawae, Radzyń, Sokołów, non cessarunt suum gemitum, cantum flebilem precemque offerre Deo. Prussaci totam Podlachiam aperuerunt incultis et schismaticis Ukrainis. In Brześć commissario ukraino totique Ukrainorum administrativo apparatui praepararunt aedes atque adiutrici custodia militari eorum incursum missionemque religiosam ac socialem praemunierunt contra catholicam et gravissima affectam iniuria Podlachiam. De Brześć in Podlachiam continuo exibant emissarii ukraini et popae excursores. Prussorum militum tutelae facti instruebant publicam ac generalem populi conscriptionem; in civitatibus, ruribus villisque ukrainas aperiebant scholas et militum prussorum auxilio cogebant iuventutem polonam et catholicam, ut frequentaret eas et assuesceret sermoni ukraino et schismaticum edisceret cathechismum. Białae et in aliis civitatibus Podlachiae instituebant typographias, in quibus excudebant millenis exemplaribus suas historicas elucubrationes de Ukrainae statu, de divitiis, potentia, animi cultura, quae multo plus Polonorum intelligentiam et doctrinam superaret. Popae ukrainenses, ubique locorum Podlachiam et terram Chełmensem pervagantes, inflammabant populum, ut animos deflecteret a Polonis et catholicis et Ukrainis eorumque religioni purissimae, nationi ac culturae faveret. Sed Podlachienses importunis his hospitibus novisque missionariis pari modo atque olim rossicis popis ac Mariavitis haereticis domorum suarum clausa opponebant ostia; ukrainae fidei missionarios eiciebant de sua antiqua ecclesia et domo parochiali, quas prussicum regimen iam suo perenni prodidit usui. A populo catholico civitate ac ruribus ignominiose pulsi popae ukraini eorumque officiales accusationem conflabant populis coram magisterio prussico. Tum fideles Podlachienses cogebantur pro audacia regiminis prussici ordinationibus praestita et pro offensione Ukrainorum activa poenam pecuniariam solvere in militare aerarium Prussorum; praeterea multi parochianorum audaciores in carcerem sunt detrusi, servitio ac labore suo coacto magno erant commodo militibus, pars quoque parochiae pulsa est in

orientalem Prussiam et destinata gravissimae servituti sine temporis limitatione.

Cum missionarii ukraini popae alita barba et capillis promissis non solum Kiovia, sed etiam Leopoli et de Galicia in Podlachiam advenirent, et loco latini ritus, iam a quinquaginta etiamque a plurimis annis suscepti, offerrent populis suum ritum graeco catholicum, Podlachienses ipsis iustam obiiciebant rationem eosque interrogabant, quare in propinquam Ukrainam infidelem et schismaticam studia sua missionaria non converterent, sed advenissent in Podlachiam, uti missionarii latinos catholicos in graecam fidem converterent? »Vos non greco-catholici ritus colendi studio et flagrantia inflammati estis — dicebant Podlachienses incolae — sed ardore russico incensi, cum vestra hodie tessera et vexillum tollatur, quod superbe in omnium capita catholicorum et in ipsam catholicam fidem erexistis. Vestra de Galicia allata fides graeca clerusque vester periurus expulit de Podlachia nostros sacros catholicos sacerdotes, violavit iusiurandum fidei et oboedientiae papae Romano depositum, rossicis aureis corruptus! Orbavit nos ecclesiis nostris, millenos fideles purpuravit martyrum sanguine! Venistisne et vos, vestro inaugurato in Podlachia ritu nobis idem, quod iam passi eramus, pro fide catholica instituere martyrium et martyrologium?«

Conciliabulum et iniqua pax Germanorum cum Ukrainis in Brześć confecta (9. II. 1918) transfixit, ut diximus, corda et pertractavit intimos catholicorum Podlachiae sensus atque animos. Qui populus inermis heroica et quieta pugna per quinquaginta annos patientia sua decertavit cum inimico potentissimo. Et ubi iam victricem palmam tenere visus est, et humillimas Christo pro dono constantiae virtuteque in fide tuenda egit grates, edictum prussicum et austriacum in lucem prodiit, ut totus populus terraeque cunctae Podlachiae una cum provincia Chełmensi in servitutem Ukrainae alimentis germano exercitui praestandis venirent. Populus hucusque sortis futurae nescius, fulminis ictu feritus edictum nefarium percepit, iamque oberravit oculis ignem infernalem et satanam ad novum bellum religiosum novamque caedem fidelis populi poloni venisse praesagiebat. Insperatum hoc fulmen erat morale martyrium populi fidelis, martyrium animi et vitae nostrorum fratrum

unitorum. Sed incolae Podlachienses, memoria patrum matrumque a schismate cruciatorum corroborati, frequentes adeunt ecclesias precibusque missis et sacramentis susceptis refecti, ad omnes casus ferendos animo parati, in pace et corde firmo exspectabant imminens tempus.

Ukraini tunc praedonum more lustrabant Podlachiam, iuncti amicis suis Prussacis eorumque patrocinio protecti. Iactabant populo minas vexationesque, denuntiabant terrores servitutis. Clamore ac minationibus insectabantur Podlachiae incolas fore, ut generali coactu transportarentur in Ukrainam et ukraini incolae in Podlachiam deducerentur, nisi edicto germanico paruissent. Sed cum pervulgati terrores Ukrainorum, tum haec iactatio fidelem populum non conturbavit, immo vero gratia Dei adiuvante animos afflictorum confirmavit.

Cum officiales ukraini eorumque emissarii ac magistri scholarum, docti atque illiterati cum suis popis Podlachiam perlustrarent velutsi suam Ukrainam terroremque inferrent populis, mensis iunius a. 1918 genti Polonae et Ecclesiae catholicae laetissimum nuntium ac spem melioris uniti populi et Poloniae sortis attulit.

CAPUT XIV.

Nuntius apostolicus in Polonia. Eius in Chelm Podlachiensi civitate praesentia (mense septembri 1918). Conclusio opusculi.

Sanctissimus Pater Benedictus XV litteris, ad metropolitam Varsaviensem, Alexandrum Kakowski et episcopos provinciae polonae missis (dat. Romae die vigesima quinta aprilis a. 1918), expressit paternum et singulare suae memoriae propositum se propius nobiscum versari velle in persona dilecti filii sui, Achillei Ratti, protonotarii apostolici et praefecti Bibliothecae Vaticanae, qui munere visitatoris apostolici exornatus Ecclesiae Polonorum susciperet patrocinium apostolicum. Cum populus noster miram cordis laetitiam percepit ex Sanctissimi Patris proposito, dum in regno suo ab annis centenis non posset laetari legati Romani pontificis praesentia, tum Podlachiae populus accepto hoc nuntio insolenti alacritate gestiit divino instinctus spiritu, quod iam adiutorio Dei e Ukrai-

norum servitute et Prussorum iugo eriperetur, cum iam prius a servili Russorum crudelitate liberati essent.

Brevi tempore designatus legatus papae Varsaviam venit. Episcopi poloni ex omnibus partibus regni Varsaviae congregati coëunt, eum salutantes et in communi consilio statuunt normam regendarum dioecesium ac defendendarum contra perversorum et inimicorum insultus. Emergunt dioeceses edicto regiminis rossici sublatae. Episcopi dioecesani salutant electos et consecratos episcopos titulares, suos adiutores (suffraganeos). In Podlachia a quinquaginta annis Janoviae sedes episcopi clausa et a gubernio rossico abolita, in parva hac civitate, purpurata martyrum Podlachiensium sanguine, denuo restituitur residentia episcopi dioecesani vetusta, renovatur seminarium Podlachiense, plenum capitulum cathedrale reficitur et episcopi officialis in dioecesi activa redit curia. Visitator apostolicus suo sacro adimplendo studio se totum dedit. Toto animo et pectore omnia amplectitur cum adiutorio caelesti, cum in Ecclesia tum in regione nostra vice patris et fratris fungitur secundum Sanctissimi Patris nostri mentem. Preces suas et vota nuncupat in Claro Monte coram miraculosa imagine Beatae Virginis Mariae, se ipsum suumque laborem offert Eius maternae tutelae. Visitat ecclesias cathedrales in Kielce, Sandomiriae, Cracoviae, Lublini. Lublino die decimo septimo septembris venit in Chełm, et praesentia sua nomine S^mi^ Patris in hac vetusta civitate catholica quasi installationem dioecesis eiusque iuridictionis quodammodo renovat.

Quae inopinata ecclesiae Chełmensis legati pontificii visitatio erat moralis ictus, quo graviter percussi sunt inimici, convellens mercaturam sordidam prusso-austriacam cum Ukrainis de Podlachia actam. Quod factum Podlachiensium populorum animos summo affecit gaudio spesque ipsis effulsit, fore, ut non solum missio schismatica et socialis Ukrainorum ab ipsis recederet, sed est Prussus inimicus cum suo Ukraino socio de Podlachia tandem secederet. Cui inopinatae legati summi pontificis visitationi generalis gubernator Lublinensis Austriae oppositionem ullam instituere non et ausus, quamvis non ignoraret, novum cursum politicum est factum reddere prussicum regimen inquietum, quod hac vice suum impulsum et actionem in omni casu praepotentem suamque voluntatem dictantem

Austriae remitteret. Exinde Prussi in Podlachia constrinxerunt nimium amicale suum et militare auxilium hucusque Ukrainis praestitum, cum austriacum regimen catholicum et apostolicum politica actione sua non adaequasset acri et protervo actionis modo Prussorum, et cum populo in regione occupationis suae contra morem Prussorum ecclesias clausas a Russis libenter reddidisset catholicae reconciliationi et sacro fidelium usui, cum permisisset, ut legatus pontificius in civitatem Chełmensem veniret.

Quo facto Ukraini quasi ictu fulminis feriti sunt, postquam audaciam missionariam in Podlachia et terra Chełmensi circumscribi et limitari viderunt, cum et prussicum militare adiutorium ipsis deminutum esset et restrictum ad personalem tantum securitatem, non vero ad administrationem regionis ac rationem russificandi populi vel redintegrandi deperditum schisma initam. Consiliis igitur adiutoriis Prussorum deminutis Ukrainae fidei propagatio hucusque vehementissime exercita, nunc attenuata, tandem quasi repentina morte exstincta mansit ignobilis. Sensim ab Ukrainis cunctae typographiae conditaeque in civitatibus populares scholae tolli ac claudi rurales coeptae sunt. Erga Podlachiensem populum Ukraini se praebebant humaniores robustosque suos ponere ac condere ungues utile censebant.

Sane hercule »volvitur retro fortuna«. Factum est, quod veteres Romani dicebant et quod totus expertus est mundus. Invictam et inani superbia tumentem potentiam Prussorum electus a Deo humilis Eius servus, novus David, Gallus, cui nomen Foch, hostem communem Goliat, seu potius novum Attilam, devicit et prostravit.

Nunc vero Polonia vetus et incarcerata per tres maximas potentias orbis terrarum a servitutis vinculis vindicata et ad libertatem novamque revocata est vitam. Nostri fratres in Podlachia habitantes sunt hodie quieti in catholica sua fide servanda. Et quamvis huius anni (1920) mense augusto et septembri rossici barbari et qui dicuntur communistae denuo cum ingenti turba armata Podlachiam et magnam Poloniae partem invasissent, attamen Dei gratia adiutrice brevi sunt copiis nostris repulsi.

* * *

Populus Podlachiensis, suorum patrum et matrum sanguine in confessione fidei sacrae effuso, agitat iam pacem religiosam ac socialem, quam per quinquaginta annos incredibili dolore affectus cladibusque pressus funestis a Deo iustissimo exspectabat, misericordiam Eius ac fidem implorans.

Ecquis nostrum refragari audeat, quod non sanguis Podlachiensium iustorum et fidelium Abel caelestis irae in Poloniam placamina clamando sit deprecatus? Quis nostrum negabit, sanguinem Podlachiensium iustorum et fidelium Abel populis nostris diu desideratam libertatem et terras Poloniae, de tribus maximis potentiis orbis mirabiliter gratia Dei ereptas, summis precibus impetrasse? Quis infitiari audeat, sanguinem Podlachiensium iustorum et fidelium Abel suae Podlachiensi familiae liberam fidei catholicae atque religionis confessionem nec non duas vetustas episcoporum residentias, Janoviae et in Chełm redivivas ac benedictionibus pontificum nostrorum insignes, a miseriis in libertatem vindicasse?

Quas res mirabilem in modum nostris temporibus gestas magnopere admiramur et cordibus animisque nostris pro his beneficiis impressa est profunda, gratissima laus et gloria Dei. At aeterna memoria custodiendi sunt illi pro fide trucidati Podlachiae martyres, et debitae ipsis referendae sunt grates pro cruciatibus ac tormentis, quae in fide catholica tuenda sunt perpessi.

Primam *Martyrologii Podlachiensium fidelium* partem incepimus voce, dolore lachrymisque sauciati cordis expressa, cum flagello rossico immani crudeliter excruciaremur.

Alteri *Martyrologii* parti imposuimus finem, spem libertatis Ecclesiae et melioris sortis nostrae gentis ingressi cum generali vivaque ad Deum prece, ut iam non virga caeli castigans populos, sed pulchra decoraque Iris, signum charitatis gratiaeque Dei adiutricis in caelesti arcu nobis omnibusque attritis iniustitia populis refulgeret.

INDEX PERSONARUM.

Confessores fidei Podlachienses, martyrio coronati, praeposito signo crucis sub littera C adnotantur.

INDEX RERUM.

Num. 3.

I. X. Jan Ciemniewski: Nauka szkolna w zastosowaniu do psychiki i kultury polskiej i. e. De disciplina scholari ad psychen et culturam Polonorum pertinente, auctore Sac. Dre Ioanne Ciemniewski, Religionis catholicae in Gymnasio Leopoli Professore. — II. Witold Rubczyński: Urzeczywistnianie ideałów. Warunki i współczynniki i. e. De realisatione rerum ad ideas spectantium. Conditiones et coagentes, auctore Dre Vitoldo Rubczyński, Philosophiae in Universitate Jagellonica Cracov. p. o. Professore. — III. Władysław Abraham: Reforma na soborze w Pizie 1409 r. i udział w niej przedstawicieli Kościoła Polskiego i. e. De reformatione in concilio Pisano a. 1409 eiusque participibus Ecclesiae Polonae nuntiis, autore Dre Ladislao Abraham, Universitatis Leopolitanae p. o. Profesore. — IV. X. Jan Fijałek: Przekłady pism św. Grzegorza z Nazyanzu w Polsce. Studjum o patrystyce naszej (Część II.) i e. De operibus S. Gregorii Nazianzeni apud Polonos divulgatis et in polonum sermonem translatis (Pars II.) auctore Sac. Dre Ioanne Fijałek, Universitatis Jagellonicae p. o. Professore. A. 1919. 8° pp. 211.

Num. 4.

I. X. Ignacy Grabowski: Proces kanoniczny w Nowym Kodeksie i. e. De processu canonico in novo Codice Iuris Canonici, auctore Sac. Dre Ignatio Grabowski, Iuris Canonici in Universitate Varsaviensi p. o. Professore. — II. Jerzy Nowosielski: Usiłowanie przestępstw według nowego Kodeksu Prawa Kanonicznego i. e. »De conatu delicti« cc. 2212, 2213, 2224 et 2235 C. J. C. commentarius, auctore Dre Georgio Nowosielski Cracoviensi. A. 1920. 8° pp. 167.

NB. Num. 5 prostat apud Bibliopolam S. Adalberti Posnaniae i. e. Księgarnia Św. Wojciecha Poznań, Aleje Marcinkowskiego 22. Quod vero ad superiores fasciculos attinet, qui iam paucissimi remanserunt, ad Societatem »Polonia Sacra« Cracoviae, platea Wygoda 11^{II} scribatur.

„POLONIA SACRA"

Commentarii litterarii, qui a Societate Polona, nomine Summi Pontificis Benedicti XV insignita, Cracoviae publici iuris fiunt.

Fasciculorum in lucem editorum conspectus:

Num. 1.

Życzenia i Błogosławieństwo Papieskie i. e. Vota et Benedictio Summi Pontificis. — Nasz program i. e. Nostrum Programma. — I. Władysław Abraham: Nowy Kodeks Prawa Kanonicznego i. e. De novo Codice Iuris Canonici, auctore Dre Ladislao Abraham, Iuris Ecclesiastici in Universitate Leopolitana p. o. Professore. — II. Tadeusz Sinko: Liryka św. Grzegorza z Nazyanzu i. e. De S. Gregorii Nazianzeni poësi lyrica, auctore Dre Thaddaeo Sinko, Philologiae Classicae in Universitate Jagiellonica Cracoviensi p. o. Professore. — III. X. Jan Fijałek: Przekłady pism św. Grzegorza z Nazyanzu w Polsce. Studjum o patrystyce naszej i. e. De operibus S. Gregorii Nazianzeni apud Polonos divulgatis et in polonum sermonem translatis. Praemittitur adumbratio litteraturae patristicae apud Polonos, auctore Sac. Dre Ioanne Fijałek, Historiae Ecclesiasticae in Universitate Jagellonica Cracoviensi p. o. Professore. — IV. Odbudowa moralna kraju i. e. Consilium de moribus in patria nostra ex integro renovandis, auctore anonymo A. 1918. 8° pp. IV. + 158.

Num. 2.

I. X. Tadeusz Gromnicki: Nowy Kodeks Prawa Kanonicznego o Małżeństwie w zestawieniu z prawem dotychczasowem i. e. De Matrimonio in novo Codice Iuris Canonici cum iure hucusque vigente collatio, auctore Sac. Dre Thaddeo Gromnicki, Iuris Canonici in Universitate Jagellonica Cracoviensi p. o. Professore. — II. X. Jan Fijałek: Tekst kanonów o Małżeństwie w nowym Kodeksie Prawa Kanonicznego w przekładzie polskim i. e. Canonum De Matrimonio novi Codicis Iuris Canonici versio polona, auctore Sac. Dre Ioanne Fijałek, Universitatis Jagellonicae p. o. Professore. A. 1918. 8° pp. 147.